

**www.e-rara.ch**

**Historia Olai Magni Gothi Archiepiscopi Vpsalensis de gentivm  
septentrionalium uariis conditionibus statibusue :**

**Magnus, Olaus**

**Basileae :, Anno M.D.LXVII [1567]**

**Stadtbibliothek Schaffhausen**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-146188>

Liber XIX.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Fit lupus, & ueteris seruat uestigia formæ.

Canities eadem est: eadem uiolentia uultus:

lidem oculi lucent: eadem feritatis imago est.

Postea in ouium gregem haud aliter quam magno impetu irruit, & unam ex eis retrò in syluam fugiendo diripuit: quam aliquantò post in lupi forma ad currum defert. Socij autem huius prædæ conscij, talem grato animo suscipiunt, & in curru clam abscondunt: qui uerò in lupum se transformauerat, ad syluam iterum reuertitur, humanamq; formam rursus assumit. Contigit quoq; in Liuania haud multis ab annis, inter nobilis cuiusdam cōiugem, atq; seruum suum (quorum illic maiorem copiam, quam in ulla alia Christianorum regione habent) quòd altercarentur, homines in lupos mutari haud posse: demum ille prorumpit, extemplo eius rei exemplum uelle ostendere, dummodò sibi facultas concederetur: ac cellarium solus ingreditur: unde paulò post lupi forma indutus egrediens, à canibus per agrum ad syluam tendens effugatur: qui ei oculum (etsi satis acriter se defendebat) eruunt. Postera autem die, ad dominam suam monoculus redit. Vnde Euantis opinio, quam Plinius citato loco refert, saluatur: quòd scilicet homo in lupum per annos 9. transfiguratus, cum suam effigiem reciperet, ad pristinum habitum, atq; ætatem nouem annos addiderit. Certò etiam cōstat, si lupus ex homine transmutatus occisus, aut alicuius membri mutilatione passus fuerit, quòd statim quando hominis figuram reassumet, isto membro carebit. Sin uerò à canibus, aut uenatoribus interfectus, nūquam talis homo amplius apparebit. Deniq; recenti adhuc memoria perceptum relinquitur, quomodo Dux Prusis, tali ueneficio parū fidei adhibens, quendam huius malefici expertum, uinculis clausum coëgit, ut in lupum se transformeret: quod ita factum est. Hunc tamen, ne huiusmodi idololatria impunita maneret, igne postea comburi mandauit. Talia enim

flagitia tam diuinæ, quam humanæ leges

seuerissime puniunt.

LIBRI XVIII. FINIS.

# OLAI MAGNI GO-

## THI ARCHIEPISCOPI VPSA-

LENSIS DE AVIBVS

LIBER XIX.

PRAEFATIO.



**I**TSI plurima in Septentrionalibus terris, tam campestrium, quam aquatiliū auium genera sunt, ceterisq; nationibus nota, ut superuacaneū sit de earum naturis aliquid adducere, maxime cum à ueteribus scriptoribus id argumentum copiose fuerit tractatum: attamen in frigidissimis his terris & aquis, nonnihil peramplius ostendi poterit, quod optimū lectorem semoto fastidio recreare, aut lectum meminisse iuuare queat. Mirantur enim plurimi, nec frustra, quomodo rigentibus undiq; campis densitate niuium, concretis ubique aquis solidissima glacie, longisq; frigidis noctibus per multos menses durantibus, nedum uiuere, sed & genus propagare probentur. Quocirca nemo præcipiti iudicio (hortante Platone in principio de legibus) ignotæ rei na-

Oo 3 turam,

## De Metamorphosi hominum in Lupos.

CAP. XLVI.



**P**linius inter eos, qui unquam naturalis historiae argumentū attigerunt, atq; etiam tractandum susceperunt, facile princeps, supra citato loco refert, Euantem autorem Græcorum haud spretum tradere, quod Arcades scribant, ex gente Antæi cuiusdam sorte electum ad stagnū quoddam regionis eius duci, uestituq; in quercu suspensio tranare, atq; in deserta abire, transfigurariq; in lupū, & cum ceteris eiusdem generis congregari per annos 9. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reuertit ad idem stagnum: et cum tranauerit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito nouem annorum senio. Hæc metamorphosis etsi Plinio uero similis haud uidetur, ac impudens mendacium esse opinatur: tamen ad Euantis, Agriopæ, aliorumq; autorum sententiam saluandam, in allegatis oris talia in hunc usq; diem accidere, aliquot exemplis declarabitur. Quodcumque enim aliquis rerum nouarum præter diuinam institutionē cupidus, siue Germanus, siue indigena, in collegium istorum maledictorum hominum, qui in lupos, cum eis integrū uidebitur, conuertuntur, associari cupit, ita ut certis anni temporibus ad destinata loca, per omnem uitam suam unā cum suis affeclis conueniat, damnumq; ac mortem ipsam cæteris mortalibus, & pecoribus inferat: hanc mutandi rationem, ipsi naturæ maximè contrariam, à quodam huius ueneficii perito per poculum ceruiciæ propinando (dummodo is, qui huic illicito consortio applicatur, illud acceptat) certis uerbis adhibitis consequitur. Postea quando sibi consultum uidebitur, hominis idæam, in cellariū aliquod, aut abditam syluam se conferendo, in lupi formam totaliter transmutare potest. Deniq; hanc iuxta placitum post aliquod tempus relinquere, atq; illam uicissim assumere sibi integrum est.

## De exemplis, in quibus homines in Lupos conuersi sunt, &amp; e contra.

CAP. XLVII.

**A** Cur ad exempla perueniamus. Cum nobilis quidam longam per syluam iter faceret, aliquotq; seruilis conditionis rusticos, huius ueneficii haud ignaros (quales plerunque istis in oris reperiuntur) secum ducebat: dies ad uesperam tendebat: tum etiam in sylua pernoctandum erat, quia in proximo nullum hospitium fuit: denique fame ac penuria premebantur. Tandem unus eorum repentinum consilium proponit, cæteros debere esse quietos, nec ullum tumultum, si quid uiderent, excitare: se à longinquo gregem ouium pasci conspiceret, curaturum, ut absq; magnis laboribus unam ex his ad cœnam, alioquin satis exiguam, haberent auandam. Statim deinde in opacam syluam, ne ab aliquo conspiciatur, se confert, ibiq; formam hominis in lupum transfigurauit: quod in nullo hæc metamorphosis distare uisa est, ab illa Lycaonis (quamuis is propter scelera transmutatus) cuius in hunc modum Ouid. Metamorphos. I. meminit:

Frustraq; loqui conatus: ab ipso

Colligit os rabiem, solitaq; cupidine cædis

Utitur in pecudes: &amp; nunc quoq; sanguine gaudet.

In uillos abeunt uestes: in crura lacerti.

Fit lu

## Adhuc de earum distinctione.

## CAP. II.



**Q**uædam etiam aues rapinis intente, ut superius dictum est, societate horrent. Nam propter auiditatem prædandi, uel insidias explorandi, nec ipsæ conueniunt, nisi lege coniugij: refugit enim auaritia cõsortium plurimorum. Aues rapaces acuti uisus sunt, quia indigēt ex alto remotius, profundiusq; uidere: quibus pennæ fluunt, & redeunt ad uigorem: nec nisi duos producunt pullos. Si plures, proijciunt eos, ut aquilæ. Omnes aues prædatrices uenantur prædam alterius generis, non de sua specie, contra naturam piscium. Solus nifus expers est pietatis huius. Aues prædatrices fugitiue loris reuocantur. Distinguuntur etiam aues in sumendis nutrimentis. Quædam enim carnes comedentes, incuruata rostra habent, ut eas teneant: quædam grana comedentes, subtilia habent rostra, atq; lata, sicuti aquaticæ. ut è profundo uictum rodant: quædam etiam rostra longiora habent, & hæc crura longiora: quædam colla recta. Vulturum rostrum in senectute arcuatur. Bubo à reliquis auib; deplumatur. Reliquæ aues perdunt plumas in pullificatione. Est & genus auium quoddam, præminentes in medio capitis plumas instar galeæ habens. Vultur ea quæ uenatur, uel cum quibus pugnat, stupefacit alis percutiendo. Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant, prout superius dictum est, de pellibus luporum, & ouium: ita & cattorum, ac glirium. Est & alia differentia earum in alis, ungulisq; plurium, uel paucorum digitorum: quia pleræq; quatuor digitos habent, tres antè, & unum postè. Bubo tamen duos antè, & duos post. Omnes autem aquaticæ pellem in digitis habentes, gregatim ambulant. Picus marinus uncorum unguium est, idè semper in uolatu. Nec aues terrestres uncos habent ad ambulandum, præsertim in petris, idoneos. Suntq; breuioris colli, & magnarum alarum.

De Auium differentia, ex Cassiodoro  
libro octauo.

## CAP. III.

**G**othorum Rex Athalaricus uolens ostendere pulchram eam fore ciuitatem, quæ populorum probatur habere conuentum, asserit, feris datum esse, agros syluasq; querere: hominibus autem, focos patrios supra cuncta tueri. Aues ipsæ gregatim uolant, quæ innoxia uoluntate mitescunt. Canori turdi amant sui generis densitatem. Strepentes sturni compares sequuntur indefinenter exercitus. Murmurantes palumbi proprias diligunt cohortes: & quicquid ad simplicem pertinet uitam, adunationis gratiam non refutat. Contrà, animosi accipitres, aquilæ uenatrices, & supra omnes alites acutius intuentes, uolatus solitarios concupiscunt: quia rapaces insidiæ innoxia conuenticula non requirunt. Ambiant enim aliquid soli agere, qui prædam cum altero non desiderant inuenire. Sic mortalium uoluntas plerumq; detestabilis est, quæ cõspectum hominum probatur effugere: de illo aliquid ueraciter credi, cuius uitæ testis non potest inueniri. Hec ille. Soli uagæ etenim aues, ut dictum est, & infra dicetur, semper insatiabiles sunt, atq; rapaces, etiam sub marinis tempestatibus in littoribus aberrantes, ut pisces exquirant. Huic etiam proposito non incongrua applicari poterit animantium distinctio, per diuum Ambrosium libro 5. Hexame. cap. 12. facta: tria uidelicet eorum esse genera, terre-

turam, ob difficilem eius notitiam, damnet, aut arguat, donec acius inquirat, & æquius intelligat, atque perfectius diiudicet, quid artifex ipsa natura producere, productumq; suis legibus statuere possit. Multa enim sunt, quæ sensus humanos, etsi uideantur, latere solent, atq; sui admirationem potius, quàm notitiam scrutatoribus ingenerant. Nec nisi minutuli Philosophi eiusdem Platonis iudicio censendi sunt, qui nihil nisi sensibus comprehensum asserere, aut credere uolunt. Quibus integer naturalium rerum terrarumq; scriptor Celtes, qui quinq; annis uniuersam perlustrauit Germaniam, satisfacere possit, ubi ait: De uolucris autem, ut apud grauissimos autores, nihil compertum habeo: multa enim desisse, quæ hodie non sunt, & multa renasci in rerum natura, quæ olim non fuerunt, constat: quod noua coelestium corporum (si quid in mundo nouum amplius emergere potest) factum configuratione crediderim. Hæc Celtes. Cui etiam Plinius lib. 10. cap. 15. suffragatur his uerbis: Sunt præterea complura genera depicta, in Hetrusca disciplina, seculis non uisa: quæ nunc defecisse mirum est, cum abundant etiam quæ gula humana populetur.

De multiplici genere Auium, & earum  
distinctione.

C A P. I.



**D**istinguuntur itaq; in frigidis, sicuti & alijs nationibus aues, ut quædam carniores sint, ut aquilæ: & quædam semine utantur, ut anseres: quædam fortuito cibo, ut cornices: quædã uermibus, ut galli: quædam in aëre reflexo uolatu nutriuntur, ut hirundines. Est etiam diuersitas in copula: qua carer, quæ rapinis intendunt, ut aquilæ, & accipitres. E contra uerò grues, & columbæ societate gaudent. Aliæ aduentitiæ, ut ciconiæ, & hirundines: aliæ manibus subiectæ, quæ tactu manueunt, & mulcentur, ut accipitres, & monedulæ: aliæ communi domicilio fruuntur cum hominibus, ut hirundines: aliæ deserta, ut turtures, frequentant, libertatis amore uictum quærentes: aliæ obstrepunt, ut picæ: aliæ canunt, ut merulæ: aliæ noctu ululant, ut bubones: aliæ die cantant, ut ferè omnes: aliæ æstate, ut cuculæ: aliæ utroq; ut passerres & aquilæ, tempore perennes: aliæ uocem humanam imitantes, ut psittaci, quibus ueluti raris hospitibus importatis, gaudet regio Septentrionalis, nam & ibi loquentes secreta domestica reuelant: aliæ Regibus subiectæ, ut grues, & apes: quædam cōfricantur ad purgationem in cinere, uel arena, ut sturni: quædam semetipsas regunt, ut pici, & graculi: quædam rarius apparentes, ut corui albi, & falcones, picæ, & passerres. Magna quoq; differentia uocum, & morum: rapax aquila, lasciuus gallus, diligens pavo, libidinosa columba, dolosa perdix atq; zelotypa, crudelis struthio, quæ in Septentrione nūquam uidetur, sed eius natura suffertur: item garrula pica, monedula furax. Est & alia uolucrum distinctio in pedibus, & rostris. Aut enim habent ungues aduncos, ut aquilæ, & falcones: aut digitos palmipedes, ut anseres, & aquaticæ ferè omnes. Est & alia distinctio, ut quædam mutant colorem, ut turdi, & grues in senectute: quædam uocem, ut gallinæ: quædam colorem & uocem, ut merulæ, & luscinix: quædam senio canant, ut cygni, tuncq; præcones sui fati: quædam in æstate dulciter, & in hyeme malè canunt: quædam diuersis uocibus quolibet die mutant uocem, ut kyces: quædam tacent in hyeme, ut turtures, & hirundines: quædam hyeme uariant, & quædam æstate cantum.

Adhuc

dibus, longis unguibus, delitiose comedentes, cunctasq; aves inuadentes: quia nullas timent aves, nisi pauonem, qui eos necat secundum Augustinum: imo & lepores, cuniculos, uulpeculas, porcellos, anseres, grues, anates, & gallos syluestres uenantur, presertim fame & frigore urgente, quando aduolant domos humanas: ubi subtilibus filis ala permotis, intra ianuam reclusi capiuntur: tandem longo ieiunio domesticantur, ferè eodem modo quo falcones, ut infra dicitur. Est & aliud genus accipitrum in Septentrionalibus terris, quod domesticis auibus insidiatur, ut anserulis, anatibus, & pullis: hyemeq; tempus suum cognoscens, latitat in nidis: audax in paruis, & timidum in magnis. Aniso etiam fugatur, & gallo: tandemq; emoritur fame. Nisus rapax, ultra omnium ferarum naturam sauiens in suum genus, prout homo, ibidem in magna multitudine reperitur. Solus frequentius uolat, ne in præda sustineat sodalem. Passeres, cæteræq; auiculæ eius insidias fugientes, quam celerrimè sese recipiunt ad rubos spinosos. Tardioresq; rapiuntur in momento, uti sepius uidi: quia solum uitæ presidium remanet inter spinas, ut columbarum in certa arbore Indiæ, ab insidiante dracone.

## De Aquilarum natura, &amp; differentia earundem.

CAP. VI.



**A**quilam autem nobilem & rapacem, ab acumine uisus, teste Isidoro, sic dicam, omnibus notam relinquo. Veruntamen quia in Septentrione maxima eius generis multitudo propter ferarum abundantiam reperitur, aliquid de earum natura præmissa distinctione præsentibus interponam. Sex igitur sunt genera aquilarum.

Primum herodius, qui & girsalcus dicitur, avis inter omnes nobilissima, colore cæruleo, ad albedinem tendens, præterquam in pectore & alis, ubi coelestem colorem euidentius imitatur: adeo fortis, ut Aquilam rapiat: etiam adeo animosus, ut si in aère post quatuor uel quinque grues, uel alias aves dimissus fuerit, non desinat à præda, donec omnes ad terram successiue deiciat, cane ad hoc edocto rapiendas. Nec reuocatus herodius is præ indignatione descendit, donec rapiat elapsam. Nec plures generat: quam unum pullum Alberto teste.

Secundum genus post hos nobilitus est, quod anseres, cygnos, cuniculos, & lepores præcipue rapit, quando pullos habet, Herodio quantitate minor, coloris uarij, ex albis & cinereis pennis intermixtis, candidas pennas habens in breui ano.

Tertium, quod truncatis insidet arboribus, unde denominationem accipit: estq; cinerei coloris: anates, & anseres uenantur: duobus prædictis generibus in quantitate, & audacia minus.

Quartum, quod accipit pisces, uarium in uentre, album & nigrum in dorso, & in struma nigras habens maculas: unum pedem habet anserinum ad natandum, alium ungulis acutum ad rapiendum. Insidet arboribus super flumina piscibus insidians: quorum maxima est multitudo in Aquilonaribus aquis.

Quintum genus paruum est, uarijque coloris, sed ingenio pollens: nam ossa in sublimi portata, uersus saxum, ut rumpantur, ob medullam exugendam emittit.

Sextum genus candidum, uiuens ex uenatione leporum, cuniculorum, porcellorum, catellorum, uulpium, & similium. Aquila tantum pullos diligit, ut sagittarum ictibus se pro illis interponat tanquam scutum.

De pro-

num, volatile, & aquatile. Ante quam differentiam dicit, auium nat. uram esse quod cum eunt cubitum, quasi peracto lato munere, ethera cantu mulcere solent quod uelut solenniter surgente & occidente die, instaurare consueverunt, ut decursi, uel adorituri nocturni iuxta ac diurni temporis laudes suo referant creatori. Eodemum ad finem capituli precatur adesse lusciniam, ut dormientes excitet à somno: ea enim auis significare solet diei surgentis exortum, et effusiores diluculo deferre letitiam. Tamen si illarum suauitas deesset, sunt gementes turtures, & raucae columbae, ut homo exciteretur ad laudem altissimi creatoris.

## De Accipitre, &amp; diuersis eius speciebus.

CAP. IIII.



**I**N partibus Aquilonis huius auis natura generosior, ac fortior, quàm in cæteris mundi partibus esse censetur, maximè propter cæli solique rigorem, & abundantissimam escam uolucrum, scilicet suæ naturæ conuenientium, pro solido nutrimento. Sanguine enim, corde, ac pectore earum audius nutritur, magnamque uenandi audaciam, affectumque sumit: qui & naturali superbia, ac tyrannide magis quandoque, quam necessitate stimulatur ad raptum, & delectatur in illo. Sunt etiam, qui cor tantummodo latere per rostrum aperto deuorant: aliquando etiam cerebrum appetunt, reliqua parte corporis reiecta. Qui uenationi student per accipitres, cancos eis offerunt manducandos: ex quorum esca mira satietate delectantur: auideque uolatilia uenantur, ut gratam pro exquisita esca restituant prædam: idque facillimè faciunt ob uolatus agilitatem, quam supra reliqua uolatilia habent, pennasque acutas, quæ singulis annis ueteribus abiectis eis renouantur. Estque huiusmodi naturæ, quod autem, quam uesper prædatur, unguis sub pectore ob inducendum calorem seruat, manetque liberaliter sine iterata rapina absoluit. Sunt igitur accipitrum genera multa: alij non nisi à terra rapiunt auem, alij circa arbores, alij in sublimi sedentem, alij in aperto uolantem. Denique accipitrum genera 16. inueniuntur. Ex his Circon altero pede claudum. Triorchem à numero testium: hunc Romani Buteonem appellant. Aesalona Græci uocant, qui solus omni tempore apparet. Est etiam nocturnus accipiter Cymindis uocatus, qui cum aquila pugnat: unguisque ei infixis pariter rapiuntur à uenatore. Adhuc quidam syluestres, quidam domestici dicuntur. Syluestris domesticas aues rapit, & continuo uorat: idque solet fieri aucupis adiutorio, qui citò impotenti audacique succurrit.

## Adhuc de natura Accipitrum.

CAP. V.

**D**omesticus accipiter domino rapinam syluestrem porrigit: unde cor, & intestina recipit in escam. Et hi trepidioribus locis plus delectantur, citiusque carne bouina, uel porcina impinguntur, uti gallinacea carne iuuenes marcescunt, & ueteri temperantur. Ante aucupium commodius in locis non nimium tenebrosis seruantur, ut alternis diebus producantur. Sed ante omnia cauendum, ne teneris infantulis exitio sint. Nulla nanque bestia quantumcunque domestica, adeo grassatur in infantulos, ut simia, & magni accipitres: qui aduolant cunabula, ungulasque tam fortiter imprimunt oculis, & naribus prolium, ut uix euolaturi eximant. Hi sunt corpore amplo, oculis uariis ac perlucidis, uultu hilari, grossis pedibus,

## De mirabili generatione Anatum Scotiæ.

CAP. IX.

**P**Ræterea prope Glegornum (teste Scotorum recentiore historico) ad duas leucas est rupes Bassensis, in qua est arx inexpugnabilis: circa quam magnarum anatum (quas Sollendas uocat) piscibus uiuentium, est mira multitudo: quæ cum anatibus ferinis communibus, aut domesticis, non sunt eadem in specie specialissima: sed quia eis in colore, & figura persimiles sunt, nomine communi anatum congaudent. At discriminis causa Sollendæ uocantur. Hæ anates in uere turmatim à Meridie in rupem de Bassi quotannis ueniunt, et rupem duobus uel tribus diebus circumuolitant: quo in tempore rupem inhabitantes, nullum tumultum faciunt. Tunc nidificare incipiunt, & tota æstate manent, ac piscibus uiuunt: & incolæ rupis, piscibus ab illis captis pascuntur. Ascendunt enim illarum nidos, ut superius de pullis aquilæ dictum est, & ad libitum pisces acceptant. In capiendis autem piscibus mirabilis est huius auis industria. In fundo maris lynceis oculis piscem contemplatur: contra quem se præcipitat, sicuti contra ardeam nifus: quem protinus ore, & ungulis extrahit: etsi à rupe aliquo alio intervallo distet, alio pisce meliore uiso priorem elabi permittit, quatenus posterius ut sum capiat: & sic semper recentissimos pisces habent, tota æstate rupem inhabitantes, luniores anates, aut anserculos in terra uicina uendunt. Si ex his bis, uel ter quis comederit, sapidissimæ apparebunt: aues enim istæ pinguisimæ sunt. Earum pinguedinem artificiosè extrahunt, quia in multis medicaminibus prodest: & partes macras uendunt. In fine autumnii rupem triduo circumuolant, & postea agminatim ad partes Meridionales pro tota hyeme auolant, ut illic uiuant in æstate: quia quando nobis est hyems, Meridionalibus est æstas. Diutissimè hæ anates uiuunt: quod per quasdam signatas incolæ perpenderunt. Triginta, aut quadraginta in rupe bellatores harum auium fructus alit, & domino rupis nonnihil uectigalis penditur. Præterea alius Scothorum scriptor, qui diligentius rerum secreta pertractat, dicit in Orchadibus ex quodam fructu arboris cadente in mare, generari anates: qui paululum susceptis alis euolant ad domesticas, uel syluestres.

## De Anseribus.

CAP. X.



**S**yluestrium, domesticorumque anserum mira est multitudo in Septentrionalibus regnis, & maxime tempore cubationis quo syluestres redeunt à Meridionalibus plagis, idque circa initium Aprilis: hiique cinerei, nigrique coloris, & rubei rostri ac pedum sunt, ueluti domestici ferè omnes candidi, & magni reperiuntur. Syluestres sunt in multiplici differentia, uidelicet in quantitate, colore, uolatu, & origine. Quidam enim alijs sunt maiores, ut cinerei coloris: quidam nigri, & cinerei, alte uolantes: quidam candidi nigerrimas pennas in extremitate alarum habentes, & hi altissimè uolant: quidam ex arboribus nascuntur, ut præcedenti cap. de anatibus Scotiæ dictum est. Plinius etiam ponit unum genus anseris uocans ipsum Comagene: cuius adipem proficere dicit in adiutorium præclarissimi medicaminis, quod Comagenum uocatur: & conficitur ex adipe huius anseris cum cinnamomo cōfecto, & in uase æreo sub niue recondito, donec frigeat.

## De proprietate Aquilarum, &amp; cubatione.

CAP. VII.

**O**Mne autem genus earum hoc proprium habet, quod pellibus uulpinis, & leporinis casu inuentis, uel ab eis extractis, oua fouenda inuoluunt, nidisq; beneficio caloris solaris cubanda reponunt. Non enim continuo cubare possunt, manentes in nidis: quia ungulae tantum curuantur, ut rebus praedandis ineptae redantur. Curam tamen erga pullos educandos maximam gerunt, pisces, aues, lepores eis in escam afferendo. Quod cum considerant sagaces uenatores, nidos ascendant, anosq; pullorum ligaculo stringunt, ut comedendi incurrant impedimentum. Solliciti itaq; parentes erga sobolem aegritudine liberandam, omnia genera ferarum in coelo, terra, mariq; recepta, nidis important, ut diuerso medicamine, uno uel altero modo suscepto sanentur. Congeritur in hanc rem maxima escarum copia: quam aucupes extrahunt, comeduntq; uel uendunt. Nec sterili questu id accidere solet, cum aliquando lepores, gallos syluestres, anseres, anates, lucios, & pisces magnos, plurimum florenorum aestimatione inueniunt, inuentosq; domesticis cibis apponunt, uel magno pretio uendunt. Colligitur, aucupem unum quadoq; plus duorum pullorum prouentu lucrari, quam colonum aliquem praedijs binis. Ne tamen pulli huiusmodi fame pereant, anum soluunt, animaq; in famelico corpore pendentis appositos cibos permittunt, iterumq; restringunt, quantum longius id natura concedit. Est namq; aquila adeo generosi animi, ut pullos proprios nunquam dimittat, antequam sibi ipsis enutriendis sufficiant: nec eis putridas escas apponit, sed recentes. Nobilitate naturae aquila nedum alijs auibus secum permittit pastum, uerum eo deficiente, ex eis unam rapit deuorandam: unde & pennae aquilae in pharetris telis appositae, pennas alitum consumunt, praecipue anserinas. Item uisa aquila ceterae aues pro eo die tantum terrentur, ut uix famem pulsurae exeant in praedam.

## De Anate, &amp; genere eius.

CAP. VIII.



**A**Nas ab assiduitate natandi dicta, omnibus nota, tam syluestris quam domestica, alioq; modo & genere diuisa, hic ueniet annotanda, maxime quod in Septentrionalibus aquis tanta earum, praesertim syluestrium, copia est, ut fere cunctas aquas cooperire uideantur. Non enim eas aucupes exturbant, nisi raro: quia anatum carnes frigidae sunt, & grossi nutrimenti: imo uerius, quia longe meliores ex syluestri uenatione, quam aquatica, habent carnes. Et licet anates diuersi sint generis, tamen omnes conueniunt in forma rostri, seu oris lati, & figura pedum membranalium ad natandum, colore secundum qualitatem regionis ab inuicem discrepantes. Domesticae tamen propere candidae sunt uniuersae: sed syluestres non nisi in tepidis aquis morantur, quarum subterraneae uenae calidam quasi sulphuream exhalationem continue subministrant. Ne tamen glacie costringantur aquae huiusmodi, naturae instinctu circulariter, & oblique natantes, eas aquas seruant apertas, tantumq; uociferantur, ut ad magnam uiarum distantiam inde audiantur. Cum uero uehementia frigoris fuerint superate, in sublime se eleuant, uastum mare uelut unicum praesidium pro securissima statione perentes.

De mirabili

## De Gallis.

## CAP. XII.

**G**Alli etiam præcisè in media nocte inchoant cantum, horisq; (ut cunctis notum relinquitur) interpolatis continuant ad lucidum diem: eoq; frequentius canunt, quò magis diei successerit hora. Crista plerunq; consumitur gelu, pendetq; abscindenda, ut stupida caro, ex albedine turpis, & pallida apparet. Tanta est Aquilonarium obseruantia in gallorum nocturno cantu, ut nullum horologium eligatur rectius in noctium progressione, uel distinctione. Sciunt etiam gallum facile sentire auræ mutationes, ex motu solis contingentes: cumq; canit, se erigit, & alis percutit ueluti nuntius (ut beato Ambrosio placet) uigilans, ad laborem sollicitans dormientes: idq; iucundius auditur in pagis, cauatisq; montibus uicinis, ubi echo per uentum duplicat cantum: quo audito, tempestiuus transitur ad opus. Veteri etiam obseruantia receptum est, & adhuc seruatur, ut post gallicinium noctis, securiores à phantasmatibus, dæmonijsq; nocturnis, quam antea, sint uisitatores. Ideoq; prima cura est nouis inquilinis, ædes ingrediensibus: habitandas, ut rubei coloris potius habeant gallos, quàm alterius: (nam ferè omnes candidi sunt) quia cæteris omnibus perhibentur sagaciores. Canente gallo, latro fugatur, peregrinus & hospes solatur, & ægris incommodum alleuiatur. Parientibus ergo foeminis, summaq; ægritudine laborantibus, gallus non longè abest, ob felix omen, & temporis lapsum indicandum, ut probat Volater. lib. 25. quos & dicit strepitu suo bellum, & faustam partibus natiuitatem annuntiare. Utq; tandem ad mensam conuiuantium meliores, crassioresq; offerantur, iuniperis, baccis, seu leguminibus, in toto Aquilone abundantibus, sicuti & aliæ syluestres uolucres, saginantur: ut elegantiores, sanioresq; carnes eorum reddantur.

## De Ciconijs.

## CAP. XIII.



**I**N Septentrionali Gothia et Suetia grad. eleua. poli Arctici 56. in Meridionali situ, uersus 90. gradum procedendo, solummodò ciconiæ rubeo rostro & pedibus, sed pennis nigris inueniuntur, uerno tempore à calidis regionibus aut à uastis & abditis paludibus, mitiori cælo subiectis, ubi hyeme latuerant, reuertentes. Aduenæ nocturno uolatu cum gruibus ueniunt, ueteraq; domicilia repetunt, eo scilicet naturæ instinctu, quòd potius in paludibus quàm hominum domibus nidos, pullos producturæ ponant. Aues etenim hæ plus aquatiles sunt, quàm terrestres: unde & lumbricis, ranis, muribus, piscibus, & carnibus, ac serpentibus uestuntur: sed bubonibus nunquàm animal ad pastum conquisitum rostro comminuit, glutitq; ac in struma retinet, donec mollificatum mittat ad stomachum: unde reiicit ad pullos enutriendos. Hæcauis nigra est, fortissimi rostri: acerrimè pro nido & pullis, etiam ad mortem usque pugnat, alam unam ante crus quasi pro scuto opponens Aquilas, & cæteras rapaces aues tempore pullorum insequitur: quas si sola exturbare, aut superare nequirit, alias conuocat, uictoriam parem ex hostibus habituras: qua obtenta, rostri percussione alacritatem ostendit: etiam quando socia accesserit, uel pulli prosperantur in pastu: tuncq; diu sonat, caput antè & retrò sæpius plicando. Nocturno autem concussa timore sonat,

Pp &amp; ubi.

nec frigore diu congelante maturetur, & maceretur. Utuntur tamen homines Septentrionales adipe anserino domestico in cibis condiendis, loco butyri: etiam in medicinis ad perfrictiones, conuulsiones, cæcosq; dolores subitos. Hic adeps butyro coniunctus, sanguinem sistit: eoq; ignis facit, carbunculus, ulcera linguæ, & labiorum, cutis in facie, & grauitas aurium sanatur. Anserino adipe utuntur Aquilonares ad rimas labiorum, totiusq; uultus, ortas ex frigore. Isq; adeps melli coniunctus, & morsui canis rabidi adhibitus, ad celerem sanationem prodest. Carnibus anserinis sale conditis, uentoq; siccatis, tam coctis quam crudis, post æstiuale solstitium, uti omnium aliorum animalium, utuntur Aquilonares. Sed ante solstitium hyemale augurium sumunt ex osse pectoris anserini, quam sæua, & quam durabilis erit hyems, hoc scilicet modo: Si clarum est esis carnibus, hyems rigida apparebit. Si spissum, & opacum, nix plurima, hyemsq; tepida sequetur. Anser tædio longissimæ noctis ante diluculū in forti frigore plus solito cantat: quia fame, & frigore concutitur, etiam in tantum, quod albescit rostrum, & ungues: cuius unicum remedium est, paleis uti substratis. Nec minus intentatis insidijs, aut orto incendio clamat, prout tritum exemplum est de anseri Capitolino: de quo tot & tanta scribuntur, maxime à S. August. de Ciuit. Dei.

De moralibus exemplis, ex Anseris natura  
trahendis.

C A P. XI.

**C**allistheni Aristotelis discipulo imperatum fuit, ut ab Aristotele ad Alexandrum missus, hanc præcipuam seruaret disciplinam, ut quàm rarissimè, & iucundè admodum apud eum loqueretur, qui uitæ mortisq; potestatem in acie linguæ haberet. Scribunt enim qui animalium naturam diligenter scrutati sunt, aliqua animalia ratione carentia, salutem alto silentio tueri: ueluti anseres, qui linquentes præ nimio calore Orientalem plagam, Occidentalem, seu Aquilonarem petentes, cum montem Tantauum aquilis abundantem præteruolare cœperunt, timentes rapacissimas illas uolucres, rostra lapillis obstruunt, ne consuetudinis, aut necessitatis uis uocem eis eliciat, qua aquilis prodita periclitentur. Verū postquam uerticem montis eius, collesq; tali silentio deuolarunt, calculos respuunt, & securiore nexu per aperta cœli strepitu, ac clarioribus uocibus feruntur, Proinde cui in simili casu onus legationis, uel aliud incumbit, anseris exemplo cogitet tacere, & cum quibus loquetur, opportunitate prouida uti. Emissum namq; uerbum (ut uulgò dicitur) nunquam reuocari potest. Ideoq; anserum more potius, quàm Callisthenis utatur. Illi enim paruo silentio uitam tutati sunt, hic autem uel modica loquendi licentia eam amisit, cum nec dicto optimi præceptoris auscullasset, nec sanctam illam Pythagoræ taciturnitatem didicisset. Opportuni namq; silentij maior est laus, quàm tempestiuæ orationis. Est & alia uirtus huius animalis, quod nutritores suos adeo amat, ut quasi sapere, & intelligere uideatur. Est & anser animal pauidum, & auditu acerrimo: quod ipsa natura præscribit, ut quò timidiora animalia sunt, eò diligentiora ad custodiam habeantur, quando metus optimus custodiendi sit artifex. Ita quoq; anser à beato Ambrosio libro 5. cap. 13. in Hexameron commendatur. Ait enim: Nocturnas autem anserum quis non miretur excubias: qui uigilias suas etiam cantus assiduitate testantur. Deniq; eo etiam Romana Capitolià à Gallo hoste seruarunt. Merito illis debes Roma, quòd regnas. Dii tui dormiebant, & uigilabant anseres. Ideò illis diebus anseri sacrificas, non Ioui. Cedunt enim dii uestri anseribus, à quibus se sciunt esse defensos, ne & ipsi ab hoste caperentur.

De Gallis

## De Cygnis.

## CAP. XV.



**C**Ygnus, siue olor (ut omnibus uide-  
tur notum) uolucris mitis & mansue-  
ta, à canendo sic dictus, eò quòd sonum car-  
minis dulcedine modulatis uocibus, pro-  
pter longum collum & inflexum, fundit,  
quo necesse est eluctantem uocem reddi  
sonoram. Rarius tamen cæteris auibus can-  
tat, nisi in productione pullorum, aut ur-  
gente forti frigore: idq; in Septentrionali-  
bus aquis, ubi aues istæ durante tepidita-  
te, longiori se continent mora: & tandem  
frigoribus superata acerrimis, iete in sublime efferunt, & euolant ad calidas re-  
giones: tuncq; inter niues candidas, permixtas atris nubibus, sola uoce prodeunte  
in magnis agminibus, ordine etiam literali pulcherrimo spectaculo per altissimas  
nubes euolare cernuntur, prognostico incolis terrarum relicto, quòd hyems uali-  
dissima sit secutura. Sed hoc prognosticum quantò seuerius exinde uisum fuerit,  
tantò lætius omen terrarum incolis administrat, prout superius lib. I. dictum est: &  
infra dicetur. Habent enim incolæ multas commoditates ex eo asperrimo gelu.  
Tandem mitigato tempore redeunt ad ueteres aquas. Verum quia carnem sua-  
uem, mollesq; plumas tanquam merces pretiosas incolis portant, diu sine insidijs  
haud perseuerant. Nouere per experientiam uenatores, eos suauis citharæ, tibia-  
rumq; cantu naturaliter delectari: ideoq; mentita bouis, uel equi imagine, aut sub  
ipsa bestia uiua ad littus in cithara canunt, donec appropinquant cygno, dulciq;  
uoci intento, ferreum hamum hasta infixum pectori immittant, chordaq; hastæ  
annexa ad littora trahant. Nec sollicitus est cygnus superuiuens, aut plures: quia  
non formidant iam captum littus adire, propter solitum pastum: sicq; cygnus sui  
fati præco, cithara deceptus incidit in fatum, quod alijs concinere solet. Alias in se-  
necta leuiter cum melodia, uita soluitur, penna capiti traiecta. Cantat enim, ut ait  
Plato, non ex tristitia, sed potius lætitia, propinquantem fato.

Adhuc de assertionem plurimorum autorum de  
natura Cygnorum.

## CAP. XVI.



**A**mbrosius dicit: Cygnea carmina sub  
gravi terrore mortis imminenti de-  
lectant: naturales enim edunt modulos, qui-  
bus paludes resonant dulcissima suauitate.  
Iorath tamen dicit, olorem dulci modula-  
tione minimè delectari, sed cum suauissimè  
modulatur, tunc signat, quod morti suæ ma-  
gis uicinatur. Plinius lib. 10. cap. 23. olorem  
morte narrari cantum flexibilem falsum ar-  
bitratur aliquot experimentis. Cygnus ita-  
que, uti plumas habet albas, ita carnes ni-  
gras, fortitudinem in alis habens: quod colericam signat complexionem. Ideò ira-  
cundus, oneris impatiens, nec libenter uolat. In lacubus, & stagnis quiescit. Vno  
pede natat, altero dirigitur ut uelo. Piscibus nutritur, & herbis. Penes aquas nidi-

Pp 2 ficat

& sibilat, auxilium in noxias bestias petitura. Præterea unum ex pullis, uel quia degener est, uel quia tædio pascendi ducitur, deplumatum nido deiecit, uulgi iudicio uelut decimas pendens, aut domino fundi censum pro hospitio præbens. Eximia tamen illis circa filios est pietas. Nam adeo nidos impense fouent, ut assiduo incubitu plumas exuant. Quantum autem tempus impenderunt in foetibus educandis, tantum & ipsæ inuicem aluntur à pullis: nam frigida earum membra refouentes, eas in pastu procurant, donec redierit fortior ala ad parentum senectutem nutriendam. Tradit & Volateranus, & Aelianus, eas teste Alexandro Magno, ob pietatem deorum beneficio in quibusdam Oceani insulis in homines conuerti: quare eis nocere, omnibus locis ducitur impium, & indignum, maxime in Thessalia, ubi serpentum immanis est copia: quos dum escandi gratia insectantur, incolas liberant à magno ueneni malo. Quare ibidem ciconijs honor, & immunitas est concessa, ut capitale fuerat, occidisse ciconiam, uti hominem. Nec dubium, eas castitatis sectatrices esse, fœdusq; coniugij adinuicem seruare.

De naturali pietate Ciconiarum, &  
Ardea.

C A P X I I I I .

**L**oquitur etiam de earum pietate & clementia beatus Ambrosius in Hexameron. Nam depositi patris artus, per longæuum senectutis plumis nudatos, circumstans soboles pennis proprijs fouet: & quid dicam? collatio cibo patris, quando etiam ipsa naturæ reparat dispendia, ut hincinde senem subleuant, fulcro alarum suarum ad uolandum exerceant, & in pristinos usus desueta membra reducant. Quis nostrum patrem ægrum non leuare fastidiat? quis fessum senem humeris suis imponat? At uero auibus graue non est, quod pietate plenum est: unde & auis hæc Romanorum usu Pia uocatur. Est & aliud genus (Ildoro teste) meropes, siue gauli: qui parentes suos recondunt, & alunt, quando senescunt, deficiuntq; uolare &c. In partibus uero inferioris Germaniæ omnes ciconiæ sunt uariæ, culmina ædium humanarum inhabitantes, eiusdem naturæ cum nigris in Septentrione. Abituræ autem, ut dicit Perottus, in certo loco congregantur, ita ut nulla sui generis nisi captiua relinquatur. Domestificantur nigra, & uarix: sed frigora intensa fortius tolerant nigra. Est deinde alia auis palustris, Ardea dicta, in Septentrione ut in plurimum cinerei coloris, unum intestinum sicuti ciconia habens: uictum quærit in palustribus ripis, & aquis: præsentis capitulo iuncta, propter magnam utriusque concurrentem proprietatem. Ardea dicta est, quia ab arduo uolatu nomen sumit: unde altissime uolat duplici ratione, aut scilicet ob metum accipitris, aut imminentes tempestates. Si uero accipiter eam in sublimi molestat, stercore missio in pennas eius, eas putrescere facit: ubi Solinus scribit de Bonaso, qui spatio trium iugerum stercus post se mittit in uenatorem, & maxima bestia Zubro secundum Albertum. Ita & lupus urinam spargit in persequentem. Ardea, quæ paludibus inheret, notas sedes deserit, imbresq; formidans supra nubes uolat, ut procellas imbrium non sentiat. Ardea, Plinio teste, cum in medijs arenis tristis extat, diras tempestates prænuntiat. Ardeæ uero albæ extra Aslogiam in Noruegia sunt in maxima copia, ut stercoris uredine destruant arbores, & frondes subiectas nidis. Ita & in Hedensoe, non longè ab oppido Sundensi in Pomerania.

De Cygnis.

## De pullis Columbarum, &amp; uirtute medicinali eorum.

CAP. XVIII.



**D**Vplices in Septentrionalibus terris sunt species colubarum syluestrium scilicet, & domesticarum. Quæ syluestres sunt, satis frequenter in escam hominum, arte & industria uenatorum captæ deputantur: non autem ut ordinarius cibus, sed pro uoluptate permissus. Harumq; columbarum pullos ex cauis arboribus, seu rupibus extractos, iuuenes heremi scrutatores sæpe questitos, ad ædes reportant: ipsq; uescientes audiores redduntur, ut eos deprædentur ex syluis. Domestici uero pulli uerni reputantur meliores, ob sana nutrimenta: sed pinguiore in autumno, ob maturiorem pastum. Medici, licet rari sint in regionibus illis, pullos tenetos ex syluis raptos, suadent dari phlegmaticis, sed non coericis, & calidis à natura. Item omni morsui columbam recenter occisam applicant & sanatur. Item sterco columbarum doloribus apponunt, ut humores desiccantur. Item sanguine columbæ sanant podagram, uel mitiorem faciunt. Item sanguine columbæ leuant oculorum maculas: fluxumq; sanguinis eodem naribus instillato sistunt. Item stercore columbarum mixto melle uerrucas tollunt. Item sanguine columbæ ex ala dextera accepto, oculo infirmo medentur. Recenter enim editus, acutus ualde est, & dissolutius: & ideo eum congruere asserunt lippientibus oculis: quorum alioqui dolor frequentius generatur ex uehementissimis uentis frigidis: qui uidentur magis foris urere, quam aliqua intrinseca causa.

## De Coruis syluestribus, &amp; domesticis

CAP. XIX.



**Q**Varto libro cap. 15. huius uoluminis dictum erat de legibus coruorum necandorum in Islandia, atq; quod in ea terra glaciali sunt ferocissimi corui, etiam albi, ac ursi albi, atque reliqua ob frigoris asperitatem in alijs regionibus Aquilonis animalia alba, prout proximè superiori libro de leporibus, ac uulpibus albis fuerat declaratum, & probatum. Nunc uero quia specialiter de auibus est agendum, coruus quoque ueniet in proprietate sua perstringendus. Illud satis arbitror dictum, quod siue syluestris sit, siue domesticatus, semper naturam sæuendi, rapiendi, & furandi habet, ut necessum sit ubiq; eius arcere crudelitatem: in campo, ne deuoret agnos: in domo, ne infantulis in cunis uagientibus eruat oculos: & in loculis, ne subtrahat æra, ut Cicero Valerio Flacco de monedula uisus est dicere: Non plus aurum tibi, quam monedulæ committendum est. At etiam Plinius monedulæ miram inesse furacitatem, præcipuè auri & argenti. Monedula dicta quasi monetam tollens: uocemq; iuuenis imbuatur humana, ut amplius noceat, & præsertim agris triticeis: à quibus non nisi per specula agris imposita arcetur. Igitur ut de coruo candido uideatur exemplum, Perottus asserit,

P p 3 quod

ficat in arundineto. In pullis educādis sollicitus: qui primum cinereum, deinde candidum colorem habent. Avis hæc plena conuiuijs fertur, ut ea clamante, reliquæ uolucres omnes fileant: unde & olor dictus, quasi alogos, quod Latine dicitur iniuria. Est tamen nautis placida in prognostico uisa, ut Aemilius dicit:

Cygnus in auspicijs semper lætissimus ales.

Hunc oprant naute, quia non se mergit in undis.

Non longe à Londino Regia ciuitate Angliæ, in flumine Tamesia reperiuntur plura millia cygnorum domesticorum: etiam in lacu Scotiæ, Spina dicto. Olores, siue cygni, ad alia loca pabuli, gratia migraturi, cōgregati comeant, tali ordine uolandi, ut impetu rostrato ferantur, quò facilius aëra findant, quam si recta fronte impellerent: à tergo dilatati, ut in cuneum porrigatur agmen, colla præcedētibz imponunt: fessioq; duce tergo illum recipiunt. Cygnus in capite percussus, facile moritur: alioquin multas sustinet læsiones. Cassiodorus lib. i. dicit beluas ipsas sono hominum conformi plurimum delectari. Ita & Plinius dicit passim, quòd uidelicet aues ut cygni, pisces ut delphini, terreneq; bestię cantu mulcentur, somniq; dulcedine capiuntur, ut superius dictum est.

### De Columbarum genere, & colorum uarietate.

#### C A P. XVII.



**Q**uamuis in Aquilonaribus terris nullus, aut rarissimus sit usus columbariorum construēdorum, atq; columbarum specialiter enutriendarum: attamē quæ ad hanc artem attinent, pro informatione earundem terrarum, aliqua honesta compendia populis illis inspectione huius libri poterunt demonstrari: ut ex aliorum ingenijs commoda solatia assequi ualeant, & quatenus opus fuerit, sine cuiusuis iniuria imitari. Vnde autore Palladio, columbarium accipere potest sublimis aliqua turricula in prætorio, uel alio excelsso loco constituta, læuigatis & dealbatis parietibus, in qua columbæ recipientur, ac nutriantur: cuius cellæ duo subiecta cubicula fiant, unum breue, ac propē obscurum, quo columbæ claudi possunt: (quas nutrire facillimum est) aliud uerò turdos nutriat. In columbarijs à quatuor partibus fenestrellæ breuissimæ fieri debent, ut columbas solas ad introitum, exitumq; permittant. Nidi quoq; inferius figurentur. A mustelis tutæ fient, si inter eas uerus lini folliculus proijciatur. Inducunt alias, si cymino assiduo pascantur, uel eis alarum extremitates melle inungantur. Rutæ ramulos plurimis locis oportet contra animalia inimica suspendere. Est etiam habenda auis tinnunculus, uel alia, quæ terrore suo accipitrem à columbario deturbet. Inducendæ sunt columbæ, ut aues huiusmodi ament. Fertur enim, si in quatuor angulis de fodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare sedem columbas, multiuaga alioquin aue. Est enim ars illis inter se blandiri, & corrumpere alias, furtoq; comitiores reuerti. Verum ut hoc ipsum fiat, pauci inter Septentrionales populos, quibus curiositas ista, non necessitas placet, præbent in pastum columbis pisa melle tincta, quatenus inter osculandum blandiendumq; hac oris suauitate campestres columbæ mansuetas comitentur in antra: eoq; casu multæ capiuntur: quæ mox ut sunt ingressæ, certis repagulis antra huiusmodi clauduntur. Accipitris impulsu uastum mare ingrediuntur, ac se manibus hominum committunt pertractandas, prout & ego in mari Germanico constitutus uidi.

De pul-

Aduolat eas, capitāq; mordet, & corripit, donec ad usum extorqueat prādam: quam mox dimittit taliter lacescit. Hæc aliquando conchylibus se replens, cum testis grauari se sentit, calore uentris semicoctas eijcit, conchyliaq; & ostreū quod intus est, latē exugit & edit. Præterea inter pisces Oceani latos, & aculeatos, Raia dictus reperitur: qui hominem a canibus marinis natantem, ad deuorandum raptum, & suffocatum defendit, nec deserit, donec uiderit eum a periculo euasisse: de cuius clementia, et aliorū crudelitate, plura inferius ostendentur: ut saltem hinc humana temeritas sese discat comprimere a ferina crudelitate, nulli inferenda, sed innocentia ubiq; defendenda. Hic piscis coruum marinum sub undas se mergentem, sapissimè ad pastum rapit, ne etiam in aquis careat ultore suæ rapacitatis.

## De Erythroaone.

## CAP. XXII.



**H**æc auis nigerrimi coloris est, rubeam habens cristam fortem et altam rostrum aduncum, et ungulas acutas, de genere uulturum, aquila grandior: cui in odoratu præfertur, ut aquila cæteris in acuminē uisus. Habitat in Aquilonaribus syluis, imò saltibus Tridentinis, ubi eam M. D. XLV. gustauit. Dulcissimi saporis est caro eius, siue assa fuerit, siue lixa. Nec unquam facilius capitur, quàm sub umbra equorum: eo scilicet modo, ut eam sagittare uolens in arbore iublimi (ubi semper quiescit) necesse habeat secum ducere iumentum ad locum opportunum, ut supra dorsum eius ab extenta ballista extrudat uiolentissimam sagittam, latam scilicet in dente, ut pennas penetraret nimis fortes, & condensatas. Nec errante sagitta statim euolat: quia fragorem auditum existimat a collisione arborum (ut in uentis semper fit) exiisse, & non a sagitta. Cum uero in terram pastus causa descenderit, aquilam a cadauere, cæterasq; rapaces aues, etiam solo terrore perturbat, solis imbecillibus, & minutulis parcens. Venatur lepores, & uulpes, cæterasq; minutulas bestias ungulis exportandas, percussione alarum. Miro robore ualet, ac uiribus ungularum: unde omnem prædam primo ictu stupefacit. Venatur & aquaticas aues, ut nec euolando, nec se submergendo ab eius persecutione sint immunes, pondus obseruans prædæ uiuæ, uel mortuæ suscipiendæ, ut eam non exportet in nidum, uel arborem altam, nisi conformis sit unguibus eius: & ita cibatur pullos. Plurimam famem sufferre potest: sed eam mira uoracitate luporum more restituere nouit: eaq; uoracitatis ratione euenit, ut in pectore, uel intestinis cadaueris cor, & mollia uorando, reti uel laqueo tanquam caueis inclusus circumdetur. Maiori tamen discrimini submittitur, quādo cum nocturnis alitibus ingreditur pugnam: de quorum numero otus est, de die nunquam apparens: cui acriter congregiens, tantum mutuis ungularum impressionibus configitur, ut & ipse, & aduersarius orto die uenatori fiant præda. Et hoc quoq; Albertus faretur fieri inter VVormatiam, & Treuerim in Germania. Ne autem uideatur hæc rapax auis in aquis simili compare carere, ecce auis Linachos occurrat: quæ tantæ rapacitatis est, ut cæteræ eam in mari uidentes, se terrore eius submergant, & pro tota ea die non nisi a longe emergant, eo quod illa obseruat aquæ superficiem, ne aliquæ eam euadant.

quod Alphonso Regi Siciliae coruum candidissimum misit Rex Britannorum alium etiam Rex Scytharum, aucupio mirabilem: quo reliquos coruos, & phasia nos uenari solebat. Rursum si Scythae saltem Europiani agnoscere uellent, quanta docilitate polluerint Romani corui, intelligerent eosdem plus, uidelicet quadraginta millia florenorum meruisse, prolati quatuor adulatorijs uerbis, quam forsitan multi Britannorum Scytharumque Reges toto æuo uniuerfis canibus, aut coruis, uel etiam falconibus acquirere ualuerunt. Idque tali modo accidisse scribitur: Redeunti Cæsari Augusto in curru triumphali, gesticulatoris cuiusdam coruus singulariter institutus, hæc uerba locutus est: Aue Cæsar, Victor, Imperator. Qui ob id uiginti millibus nummorum aureorum emptus est. Sed multo pluris alius cuiusdam sutoris coruus, qui Cæsari dixit: Opera & impensa perditæ. Vtque se habeant hæc trita adagia in Latio, certum est, omnes coruos totius Aquilonis nunquam pro uerbis, & uocibus suis recepisse mercedem, licet 64. uoces formare dicantur: inter quas pessima quædā est. Cras cras, omnibus pollicitatoribus ualde communis, & pluribus perniciosa. Præterea alia est uox, Erit erit: & nunquam erit. Et ita de reliquis, quæ garritu, latratu, crocitate, uocis resorbitione, strangulatione diras trucesque tempestates, imbres, & euentus rerum uniuerfis absque nummis exponunt. Imò in ceruissarijs tabernis cicures corui retrò, uel à latere clandestinæ furantur pecuniam ab inebriatis, certoque loco reponunt, ut symposio soluendo per conscium furti addatur aliquid pretij: & ita gratis bibere uidentur, ubi coruus pro omnibus soluit.

## De Coruis marinis.

CAP. XX.

**E**st & aliud genus coruorum, aquaticum, siue cornices anguillarum, appellatum. Hæ aues nigerrimæ sunt, præter pectus, & uentrem: quibus cinereum colorem natura præscripsit, & incomparabilem uorandi audacitatem. Venantur pisces, tardi sunt uolatus, diuque sub aquis manent, quando se immergunt. Habent rostra dentata, ut falces messorum: quibus retinent lubricos pisces, anguillas præsertim: quas adeo gulose uenantur, & uorant, ut eas per aluum, tanquam per canale egerant uiuas. Sunt etiam hæ aues ingratisimæ naturæ, quia stercorebus egestis cortices, ac arborum ramos, ubi habitant, inficiunt, ut subito arescant. Idque ardea facit: quæ æquæ ac ille in altis arboribus nidum collocat prope piscosas aquas, ut fere omnia genera auium aquaticarum. In uere produciunt oua. Est et aliud genus coruorum, quod in principio hyemis septem diebus nidificat, & septem diebus pullos cubando producit. Hyemis autem principium intelligitur, quando quarta cœli hyemem facit, cum scilicet sol intrat Tropicum Capricorni hyemalem, usque ad Arietem. Accedit etiam huic coruo, ingrato auium generi, alia auis aquatica, Morfex dicta, totaliter nigra: quæ ei insidiatur, rostrum habens ferratile, ungues fortes: quibus aquis immersa, grandes pisces uenatur, & edit. Gregatim in arboribus nidificat iuxta aquas, pullos piscibus pascens. Relinquens nidos, si sentit se grauari, nouum cibum euomit, alioqui peritura. Hæc saturata, alas sole siccandas expandit, diuque aquam cauda percutit, antequam ad uolatum eleuatur. Sortitur ergo aliud nomen, quod Humusculus, uel Humidusculus dicatur. In omnibus lit toribus Septentrionis tam æstate, quam hyeme hæc auis uersatur.

## De inimica aue huius Corui.

CAP. XXI.

**A**vis est Platea dicta, Septentrionalis aquæ incolæ: quæ acerrimus uindex est auium se mari mergentium, ut piscibus uescantur. Ideoque his insidiatur hoc modo  
Aduolat

Quando collum inflatur,aperiatur uena auricularis,ut gutta exeat,& comedat ranam,& detur cibus pullinus.

Quando leuato pede percutit crus suum rostro, habet guttam salis: aperiatur uena inter crus & coxam.

Quando habet pediculos,ungatur caput cum axungia ueteri,admixto argento uiuo,& misceatur sepius.

Quando habet febres,scilicet quando ei calent pedes,& contremiscit, axungia gallinæ cum forti aceto admixto aloë, detur ei interpolatè,& deinde testudo limax dicta.

Quando cibum reproijcit, habet uiscositatē in stomacho: dentur carnes passerinæ asperse cum trito gariophyllo alternis diebus,& rursus pipio alternatim: si tenuerit, sanabitur.

Quando non longè egerit, detur cor porcinum cum seta porcina minutim incisa, usq; in diem tertium,& liberabitur.

Quando habet lumbricos, detur limatura chalybis depurati, super carnem porcinam sparsa triduo,& proderit.

Quando tinxæ comedunt pennas, detur uinum calidum,& piper tritum,& infundatur in gulam falconis,& teneat donec digeratur.

Quando podagram patitur, id est, pedes sine extrinseca læsione tument, detur oleum oliuæ,& butyrum, æqualiter,& aloë, ieciniore modo coacta, unius uncia: quolibet die misceantur, pedesq; triduo ungantur: poneturq; ad solem,& comedat carnem catti.

Quando habet pruritus, hoc est, quando se peccit,& scalpit,& pennas trahit, detur sterus anseris, ouis,& aloë, æqualiter, forti aceto temperata: bulliantur ad solem triduo, uel igne lento: in quo balneetur falco: edatq; carnem columbinam cum melle,& pipere: sit in loco obscuro diebus nouem, usquequò apparuerit penna bona in cauda: tuncq; lauetur aqua rosacea,& sanabitur: iterum tamen sepius lauetur.

Quando est uulneratus, albumen oui,& oleum oliuæ, uel butyrum recens, æqualiter mixta, et apposita profunt. Purgetur uulnus lauando cum calido uino, non aqua, donec cutis texerit carnem.

### De Garrulis, & Cornicibus, ac Graculis.

#### C A P. XXV.



**G**arruli syluestres domesticantur, ac uoces articulatas addiscunt, ut supra dictum est de imperialibus coruis. Sed garrulus à graculo natura, coloreq; distinguitur: nam graculus est totaliter niger, de genere cornicum, in Septentrione rarissimè apparens, sed frequens in Germania inferiore garrulus autem diuerso colore, garritu, ac uolatu lateraliter inter arbores garriendo peruolat: nec quisquā transire potest, cōtra quem nō garriat importunè. Aliarū autem uoces nō delectationis, sed garritus causa imitatur. Vnde garrulitati nimiū intendēs, à niso rapitur in escam: exemplum ardelionibus præbēs, ne aliena sic scrutentur ut propria obliuiscantur. Habet & omnium uolucrū colorem: & intantum furit, & insanit, niso uel catto uiso, ut in ramis arborū se suspendat. A iuuentute domesticatus, diutius garriendo mirè loquitur. Cattum domesticū, tanquam hostē insidiantem, continuo garritu, ut auferatur, prodit. Noces, & glandes pro hyemali esca æstate

## De Falconibus, &amp; eorum distinctione.

C A P. XXIII.



**E**X quo falconibus tanta reuerentia, honosq; conceditur, quod procerum manibus, gemmis, margaritisq; adornati insideant deporrandi, ut suo raptu spectaculum aliquod gestantibus se demonstrēt: nefas crederetur, huiusmodi auium præfectos, seu barisellos, presentibus uolucris haud rectum attribuere locum. Aquilonares igitur montes hos generant ualde feroces, sed generosos, etiam candidos: qui ballistis incolarum, nisi omnimodam uim in rapiendo fecerint, tanquam aues sacrae non impetuntur: alioquin damna facientes, quantumcunq; nobiles, aut candidi sint, sagittas incolarum non euadent. Habitant tamen in rupibus quasi inaccessis, uiuentes ex raptu piscium: quos ob nimiam multitudinem diminuere nō sufficiunt homines etiam innumerabiles, nisi concurrerit adiutorium rapaciū bestiarum. Adeo natura ludit in rebus abundantia, uel defectu sagacissimē temperandis. Abundant etiam ibidem accipitres, & milui, ac corui, ob aquaticarum auium segnitiam, ac tardum uolatum: quia nimium fertilitate fundi saginantur. Dicit etiam Albertus, quod in animalibus Septentrionis multa est rapacitas, ferocia, ac audacia: quia corpora illa magna sunt, & multi spiritus, & ferocitatis. Volateranus Alberti sententiam sequēs, inter septem falconum genera subalbidos ponit in Septentrione, propter frigus, humorem, & locum, in quo nascuntur. Ponitur etiam falco lanarius: qui stat in aëre contemplans prædam, ubi subalbidus unguibus & rostro audacius aduolando ferit: non ita falcones nigri, qui tardiores sunt: quia corpora nigra, seu fusca, porosa sunt, de facili euaporantia spiritus, qui sunt uehicula uirtutis: tuncq; lassantur, & debilitantur, quamuis sunt agilia per naturam. Econtra autem alba, frigida, confertas habent carnes: & quia sunt multi humidi, multorum sunt spirituum, & propter carniū confertionem non citō euaporantia: & ideo diu durant in labore. Genera tamen falconum ab aliquibus ponuntur 8. ut Symmacho, & Theodotione: ab aliquibus 10. ut Alberto, & sequacibus suis. Sed quoad nobiliores, primum sacrum, siue aëlium, uel aëriphilum: secundum girofalconum: tertium montanum: quartum peregrinum: quintum gibbosum: sextum nigrum: septimum album à Suetia: octauum rubeum, quia maculas rubeas & nigras habet: nonum hyacinthini pedis: decimum minimum quantitate, quod uulgariter smerlin uocatur.

## De curandis Falconibus, &amp; alijs auibus uenatorijs, more Aquilonarium.

C A P. XXIIII.

**Q**uando habet dolorem capitis claudendo oculos, & mouendo caput in diuersum, datur ei lardum cum puluere piperis, & caro pullina alternatim. Quando aperit rostrum, & percutit pedem, habet malum humorem in capite: torquendus est stylo argenteo in naribus, ut exeat humor, & ungatur recenti butyro.

Quando sternutat proijciens aquam de naribus, habet nimium humorem: & capiuntur tria grana saxifragæ, cum totidem granis triti piperis cum aceto, & applicentur naribus cum lana bombacina, aut subtili stupa lini.

Quando



trorsum aquilæ formam effigurate in capite, rostro, alis, ac anterioribus pedibus, licet multò maiori quantitate: in posteriori uerò parte, cauda, cruribus imitari leonem: & in aquilinis unguibus longos habere ungues, in leoninis uerò, breues & magnos: è quibus scyphi fiunt, uti ex ouis struthionum ad bibendum: & ideò quosdam longos, quosdam breues gryphorum ungues inueniri. Habitant in Hyperboreis montibus, infesti maximè equis, & hominibus: tantæ fortitudine præditi, ut equum, & armatum sessorem rapiant. Isidorus tamen dicit, eos gryphos ea ratione uocari, quasi animalia quadrupedia, ac pennata: uereq; in montibus prædictis, equis infestos, etiam ut hominem decerpant. In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, sed inhabitabiles, referente Solino. Nam cum auro & gemmis affluant, gryphes uniuersa tenent, alites ferocissimæ, & ultra omnem rabiem sæuientes: quarum immanitate obsistente, aduenis rarus accessus est. Visos quippe decerpunt, uelut geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem. Arimaspi cum his pugnant, ut lapides, qui ibi sunt, intercipient: ex quibus sunt smaragdus, cyaneus, & crystallus. Dicitur etiam libro de nat. rerum, gryphes esse quadrupedes, capite & alis aquilæ similes, sed multò maiores. In nido suo lapidem agathem ponunt, nec dubium quin ad aliquid utilem. Hi equis, & hominibus maximè infesti sunt, ita ut homines armatos præliando superent, & occidant. Dicuntur aurum effodere, & in effossi inspectione gaudere. Gryphem in India, teste Volaterano, quadrupedem esse aligerum tradunt, uiribus potentem, leonis more recuruis unguibus, dorso nigrum, priori parte purpureum, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, captu haud facilem, nisi pullum. Præterea nidificare in altis montibus: & illi congregari nullum, nisi leonem, & elephantem, audere. Aurum insuper in desertis fodere, & accedentes arcere, ex eoq; nidos texere ferunt: ad quod furripiendum sæpe uenit mille, aut duum millium hominum exercitus magno cum periculo, tum etiam quæstu. Tertio deinde, aut quarto redeunt anno ex Aeliano. Philostratus uerò in ulta Apollinis libro tertio scribit hanc auem, simul & phœnicem sacram esse soli, currumq; solis hisce gryphibus iungi: superare insuper elephantes, & dracones, omnia deniq; animalia, præter tigridem, quæ ob uelocitatem ab eo aufugit: uultu quoque non multum ab humano differre. De animalibus autem bigeneribus, Vincen. in spec. nat. libro 22. plura dicit. Etiam Plin. libro octauo capite 21. ubi de equo pennato, & similibus multa dicuntur. Porphyrus est auis, contra modum aliarum unum pedem habens latum ad nandandum, alium uerò fissum ad ambulandum: & id genus est in Balearibus insulis. Pegasus (de quo Plinius) est equus pennatus, cornutus, & armatus, quem Aethiopia gignit. Habet & alas, ut aquila: ualde monstrosus. Struthio alta bestia est, per me uisa in Concilio Vincentino M. D. XXXVIII. in pedibus fissis animal, & rostro auis: de quo in lob plura dicuntur: & quomodo ferrum glutit, & digerit, alibi requiratur. Auri phrygius est auis, sic dicta, quasi auram phrygiam sequens. Habet unum pedem cum uncis acutis ad prædandum, alterum uerò latum ad nandandum. Gyro multiplici utitur in aëre, nunc mor. ludentis, nunc more insidiantis, usq; dum prædā in aquis cernens, impetuose descendat, altero pede prædā rapiens, altero natante rapientem adiuuans.

De Gruibus,

astate recondit, signum loci & rei custoditæ à transitu nubium fumens: quo fit, ut stulta memoria illusa sibi ipsi famem, alijsq; ei solitudini non intentis escam exhibeat copiosam. Discant ergo ex eo pecuniosi & auari, ne damnata solitudine congestos thesauros mittant ad hostes, & ingratos hæredes. Cornices sunt in Septentrionalibus terris mixte coloris cinerei, & atrii: ungulis et rostris plurimum potentes: carnibus, alijsq; pabulo indifferenter, etiam nucibus alto casu contractis utentes. In hyeme cibum cum porcis sumentes, ascendendo descendendoq; semper resident super dorsa eorum, propter ungulas frigoribus non consumendas. Solicitæ genetrices sunt pro pullis educandis. Cornicem incubantem mas pascit more coruorum, teste Alberto. Vtraq; avis inauspicatæ garrulitatis. Vterq; parens scetum secum uolantem diu nutrit, pietatis amore. Discant ergo homines, hortante Ambrosio, amare filios ex usu cornicum: quæ etiam uolantes filios sedulo prosequuntur, & solite, ne fortè teneri deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt.

De bona Auium natura attendenda.

C A P. XXVI.

**D**iscant hominès ex auibibus hospitalia iura seruare cum ciconijs. Item pericula sua communicare cum necessarijs, ut cornices: & ab eisdem castitatem, quia inter se fidissimæ sunt. Mira etenim his castitatis & matrimonij cura, haud palam coeuntibus: extincta consorte, alteri uiduitas impolluta manet. Sunt etiam cornices in augurijs, & incantationibus aptæ, ut Alberto placet. Plin. dicit lib. 19. cum contra aquam (ut aliæ terrestres aues) clangorem dant, seseq; perfundunt, imbrem præfagiunt. Vero experimento etiam receptum est, ut se in Septentrione niuibibus perfundant, ut turdus uel alauda arena, aut puluere gallus: tuncq; profundum casum niuium præmonstrant. Insidias etiam omnium rapacium uolucrum improba uoce, & uolatu domesticis auibibus demonstrant: imò & sola uoce, ut Suetonio iocanti placet:

Nuper Tarpeij confedit garrula cornix.

Est bene non potuit dicere, dixit Erit.

Pica insuper quasi poetica dicitur, eò quòd uerba in discrimine uocis exprimere, & importuna garrulitate uocē imitatur humanam, colorem ex nigro & albo communiter habens: quanquam in Septentrione totaliter candida sint, licet raro repantur. Vidi ego in Polonia M. D. XXXVII. transiturus ad Concilium generale Mantuæ conuocatum, prope Gnesnam toto corpore candidam picam à nobilibus terræ, ad propagationem generis diligenter inquiri. Communis autem pica, frigore pressa, hominum ædibus se confidit, ueluti & corui, cornices, & similia, ut facillime capiantur, prout lib. 1. cap. 19. multis effectibus probatum est. Sustinet tamen hæc avis ultra cæteras immensum frigus: sed parcitur illi, ne capiatur: quia noxias bestias, lupos, uulpeculas, lustras domesticis animalibus insidiantes, plurimo garritu prodit. Latiore etiam cantu latos hospites insinuare uidetur aduenturos. Alia de earum mira natura, refert Plin. libro 10. quomodo adamant uerba, quæ loquuntur, cura atq; cogitatione intentionem non occultantes. Constat emori uicinas difficultate uerbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli. Hilarantur uerbum audientes sæpius repetitum.

De Gryphis, & alijs Auibibus.

C A P. XXVII.

**N**eq; Plinio, neq; Alberto physica ratione aliqui uidentur gryphi esse in rerum natura, nisi secundum traditiones historiarum. Dicunt enim eos antrosum

ta. atq; in æstuaria portata, caloris accessu hirundines resolutæ, uolare quidē inci-  
piunt, sed exiguuo tempore durant: quia immatura acceleratione non liberæ, sed ca-  
ptiæ sunt reductæ: documentum præbentes, abortiuum partum esse cauendum.  
Accidit etiam tempore uerno, liberè reuertentes, nidosq; ueteres intrantes, aut no-  
uos construentes, superueniente horrida hyemē cum ænso casu niuium, omnes  
pariter emori, ut nullæ in tectis, aut fluminum ripis tota ea æstate uideantur, præ-  
ter paucissimas, tardius à profundioribus aquis ascendentes, aut aliunde peregri-  
nantes, quæ naturæ beneficio sobolem reparaturæ, hyeme penitus in Maio solu-  
ta, ad uolare cernuntur. Agricola enim ex earum nidis sublimius, uel depressius  
ædificatis, prognosticum capiunt, an in uallibus, an in montibus, uel collibus (pro-  
pter imbrium incrementum, uel decrementum) sint seminaturi. Imò nec bonum  
omen capiunt incolæ ex tectis, ubi hirundines habitare perhorrescunt: quia ea cul-  
mina casura creduntur. Et cum triplex hirundinum genus sit, istud primum est,  
quod cum hominibus habitat, scilicet candidum pectus habens, & caudam lon-  
giorem bifurcatam, garricensq; perpetuò in domesticis nidis. Secundum genus  
agreste & nigrum, in rupibus & saxis, ac ruinis murorum habitat: quod alto uo-  
latu siccitatem, & humili pluuiam præfagire uidetur. Tercium genus ripale, uen-  
tre subrufum: & hæ hirundines statim non ædificant, cauando terram, propter flu-  
minum inundationes.

Adhuc de Hirundinibus, & medicinis ex  
eis inuentis.

C A P. XXX.



**H**irundinem, referente Ambrosio, ac-  
cipimus maternæ sedulitatis in filios  
grande documentum. Hirundo quidem  
minuscula est corpore, sed præsublimis  
pro affectu: in nido constituendo tam sapi-  
ens est, ut hominum domicilijs pullos suos  
commendet, ubi nullus eos incurset. Ore  
festucas legit, & luto illinit, ut conglutina-  
re possit: sed quæ lutum pedibus deferre  
nequit, aqua pennas infundit, ut eis puluis  
hæreat: & limus fiat, quo festucas sibi colli-

gat, & hære faciat. Si qua uerò eius pulli fuerint cæcitate perfuncti, remedium ha-  
bet, quo uisum reformet. Volaterranus dicit eam quinos pullos producere, qui-  
bus ex ordine cibos administrat: & si quem debilem, & implumem uiderit, mollio-  
res plumas adducit, & supponit. Ipsum quoque nidum (ut Plinius refert) plumis  
mollibus, floccisq; consistunt tepesciendis ouis, simul ne durus sit tenerioribus  
pullis. In foetu summa æquitate cibos alternant. Notabili munditia pullorum ege-  
runt exciementa. Adultos etiam circumagi docent, & foras emittere stectus. Dicit  
eur autem hirundo, eò quod non sumat cibos residens, sed in aëre edat. Alijs au-  
tem non impetitur, nec unquam præda est: idq; benigna naturæ prouidentia fa-  
ctū existimatur, cum se, pullosq; suos tam sterili aëris quæstu cibare cogatur. Passe-  
res tamen, dum nidos earum habitaturi ingrediuntur, cum exercitu uenientes hi-  
rundines, lutum ore ferentes, subito claudunt, ac suffocant eos: documentum præ-  
bentes, alterius libertatem minimè esse uiolandam. Pulli earum combusti, confe-  
runt morsui canis rabidi. Item puluis combustorum pullorum, morbos faucium  
curat, uulneraq; linguæ, & labiorum sanat. Item hirundo in mulso cocta, pectus  
optimè purgat: & cor eius puluerizatum, & bibitum idem facit. Maiores hirundi-  
nes si combustæ fuerint, puluis earum melle mixtus, & inunctus, caligines oculo-

Qq rum

## De Gruibus, &amp; uigilia militari:

CAP. XXVIII.



**C** Rues peregrino agmine cum cico  
T nijs ab Australibus locis ueris tem  
pore in Septentrionales terras uenientes  
fatis, uel in maiori parte lib. 2. cap. 11. de  
monstrata sunt, & ex Solino cap. 15. qua  
tenus lectori placuerit, adhuc in earum  
mirabili natura notari possunt, hoc refer  
uato ad hunc passum, de auibus Septen  
trionis, quod prænominatę grues non  
conferunt in mutuam operationem, se  
cundum Albertum, nisi uigilias, & uolatum: quę Liburnicarum more rostrato im  
petu ueluti & anseres, feruntur, facilius ita findentes aëra, quàm si recta fronte im  
pellerent: à tergo sensim dilatante se cuneo, porrigitur agmen, largeq; impellenti  
præbatur aurę. Colla imponunt præcedētib; fessosq; duces ad terga recipiunt.  
Quę autem domesticatę sunt, mirę lasciuiunt, gyrosq; quosdam indecoro cursu  
uel singulę peragunt. Vigilias habent nocturnis temporibus, lapillum pede susti  
nentes: qui lassatis somno decedens, indiligentiam sono coarguat. Ceterę dormi  
unt, capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto prouidet  
collo, ac periculum prædicit. Ex hac gruum uigilia, uisus est Alexander accepisse  
exemplum uigilandi, dum non crederet exercitui fortunam suam dormiēdo. Vn  
de ne à somno deciperetur, aenea pelui supposita, brachioq; extra cubile exerto, pi  
lam in manu tenebat argenteam, ut cum neruorum uigorem sopor laxaret, lapsę  
pilę tinnitus somnum rumpere. Hoc quidem documentum Regem illum excel  
lentissimum à gruibus accepisse arbitrandum est, qui nocturnas excubias lapidis  
pondere semper exercent, ne à somno decipiantur. Qua diligentia si uisus fuisset  
Thrasylbulus Atheniensis, restitutor oppressę patrię à 30. tyrannis, nunquàm ho  
stili irruptione noctu famulis suis dormitantibus interfectus fuisset: relicto exem  
plo, uerissimum esse militare præceptum, Nihil in bello oportere contemni. Neq;  
sine causa dicitur, Matrem timidi non raro flere. Verum qui uidere uelit de cauē  
dis nocturnis insidijs, uideat parum caput 5. lib. 10. & meliora speret.

## De Hirundinibus ab aquis extractis.

CAP. XXIX.



**E** T si multarum naturalium rerum scri  
ptores memorię prodiderunt, hiru  
dines mutare stationes, hoc est, exurgente  
leui hyeme, repetere terras calidiores: attā  
men in Septentrionalibus aquis sapius ca  
su piscatoris extrahuntur hirundines, in  
modum conglomeratę massę: quę ore ad  
os, & ala ad alam, & pede ad pedem post  
principium autumnī sese inter cannas de  
scensurę colligarunt. Notatum enim est,  
eas eo tempore suauissimo completo can  
tu taliter descendere, & pacifice post principium ueris inde euolare, atq; repetere  
uetustos nidos, uel nouos naturali sollicitudine fabricare. Massa autem illa per  
imperitos adolescentes (nam antiqui, & experti piscatores eam remittunt) extra  
cta, atq;



data, deferat in aluium ruminantis modo. Auis hæc rapax est, & longi ac serratilis rostri, instar oloris: quod in aquam, uel terræ lutum infigit, & quasi cornu sonans, horribile sonum emittit. Suntque duo genera, aquaticum, & syluestre: & utrunque inter aues imple caret. Folliculos magnos in gutture habet: quibus primo cibus mollificatur: deinde uentri, ut digeratur, transmittitur. Alia cibi receptacula non habet. Ideoque in aquis potius uiuit. Gallia etiam Septentrionalis hanc auem habet: cuius quoque Hieronymus meminit, quod fixo in puluere rostro horrendè clamat. In Oriente reperitur etiam hæc auis eiusdem naturæ & proprietatis: quippe cum uocem edere uoluerit, caput in aquis ponit, & illic instar rugitus clamorem emittit. In faucibus enim quosdam habet folliculos quibus cibum primò concipit & post horam in uentrem mittit, ibique eum digerit inexplabile animal. Plinius dicit, quod multas simul escas recondit. Ideoque Dominus per Esaiam capite 34. ciuitati desolandæ comminatur his uerbis: Non erit transiens per eam, & possidebunt eam onocrotalus, & ericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea. Omnia hæc animalia diri portenti signa sunt. Nec dissimiles onocrotalis osina aues perhibentur: quæ magnitudine cygnis comparatæ, fluuios ac piscinas inhabitant, rostrum habentes magnum, & à gutture usque ad pectus instar sacci receptaculum longum, & amplum: in quo magnam simul reponunt copiam piscium, ut scilicet paulatim digestis cibus, paratam escam reperiant, quò ingluuiem, licet insatiabilem, sedent. Neque tales famelicæ bestię alibi, quàm in aquis, ubi copia piscium reperitur, grassari solent. Est etiam bestia Botaurus appellata, quæ similem onocrotalo naturam habet, ut Vincen. in spe. nat. lib. 16. cap. 43. diffusius affirmat.

## De Auibus sub niue reclusis.

CAP. XXXIII.



Sunt in Septentrionalibus terris galli syluestres, quantitate similes phasianis, licet multo breuiore cauda, & absoluta nigritia in toto corpore, & cendentibus aliquot pennis in extremitate alarum, & caudarum. Mares rubea & eminenti crista, foemina uerò humili ac lata, colore griseo decorantur. Hæ aues mirabili naturâ sustinent frigus immensum in nemoribus, uti anates in aquis, prout supra dictum est cap. de anate. Verum cum niues instar collium terræ iuperficiem ubique cooperiunt, ramosque arborum diutius deprimunt, & condensant, certos fructus betule arboris (Garulo Italicè dictæ) in forma longi pipæris uorant, & glutunt indigestos: idque tanta auiditate, ac quantitate, ut repletum guttur toto corpore maius appareat. Deinde partitis agminibus sese inter medios niuium colles immergunt, præsertim in Ianuario, Februario, Martio, quando niues ut turbines, typhones, uel tempestates grauissimæ e nubibus descendunt, prout superius cap. de niuib. lib. primo est expressum. Cumque coopertæ sunt, penitusque ut nulla uideatur conglobata, certis hebdomadis cibo in gutture collecto egesto, ac resumpto uiuunt. Venatorum canibus non produntur: attamen sagacitate expertorum uenatorum sæpius euenit, ut canibus in odore errantibus, ipsi

Qq 2 signis

rum detergit. Hec etiam squinanticis prodest, & uue fauciumq; tumorem compe-  
scit: quod ignorarunt medici, curantes charissimum fratrem meum Io. Magnum  
Archiepiscopum Vpsalensem M.D. XLIII. ex eo morbo Romæ mortuum. Pulli  
hirundinum, qui in Augusto sunt, lapidem chelidonium, aliquando in epate, ali-  
quando in stomacho gestant: quem ego diuersicolore inueni. Pulli autem con-  
uersis ad se uultibus in nido, generosi sunt: posteriora uerò uertentes, degeneres.  
Strabo lib. 17. in uerbo hirundines, asserit eas gigni septenum cubitorum, quæ gu-  
lam perforatam habent, atq; per hanc respirant.

## De Lago &amp;c.

CAP. XXXI.

**L**agus est auis aquatica, moribus mergo contraria. Nam ut mergus tempesta-  
tem maris fugit, sic lagus in ea latatur, & ludit. Viuit indifferenter in terra &  
mari, uolans ac natans, prout animal lutra inter bestias syluestres & aquatiles. La-  
gus etiam lepus dicitur Latine. In stagnalibus locis, uel petrosis nidum collocat,  
miro ingenio factum: sed sæpius in profundo manere delectatur. Larus est de ge-  
nere milui, tam in aqua, quàm in aëre pro præda uolitans, semperq; famelicus per-  
seuerans. Mergus ab assiduitate mergendi & natandi dictus, demisso in profun-  
dum capite, aurarum signa sub fluctibus colligit: & cum præuidet æquoris tempe-  
statem, ad littora cum clamore tendit. Mergus, ut Plinius dicit, in arboribus uere  
nidificat, utraq; ternos pullos non producit: estq; de genere insatiabilium anima-  
lium, quibus à uentre protinus recto intestino cibi transeunt sicuti lupis cerui-  
ris: qui, ut cæteræ aues aquaticæ, pennas rostro purgantes, aut maria & stagna fu-  
gientes, præfagiunt uentum. Plinius lib. 30. dicit ossifrago unum tantum esse inte-  
stinum, omnia deuorata conficiens: cuius extrema pars adalligata prodest contra  
colum. Est etiam quædam species mergorum cornuta, à re sic uocata, eo quod ru-  
beas plumas masculus, & fœmina uarias, uelut cornua in capite gestant, contra  
omnium uolucrum genus in cauda pedes habentes, ita ut stando in terra (quod ra-  
rius accidit) sicut homo gestu pectoris erigantur: quas aues beatus Martinus di-  
uina uirtute coëgit aquam contra naturam suam deferere, & arida loca, ac deser-  
ta petere, prout alibi habetur, quod S. Hieronymus leonem asino custodem depu-  
rauit. Horum pulli statim ut oua exeunt, tanto uigore pollēt, ut si matrem eos per-  
dere contigerit, uirtute propria uiuant, hyemeq; pinguioribus sunt, propter paucita-  
tem motus: quia omne animal sereno aëre gaudet, & in eo plus uagatur: sed mul-  
to magis frigore urgente, quando frequentissimos faciunt motus circulares, &  
quadratos, ne congeletur aqua, prout superius de anate dicebatur. Nepa est auis  
longi rostri, cinerei coloris, ut perdix in dorso, et in uentre ut nifus. Hec susceptura  
cibum, in luto tantum rostrum insigit, ut nisi pede illud extrahat, persecutoribus  
suis fiat præda: & ideo in die quiescit, & nocte ac aurora cibos quærendo uagatur,  
etiam currendo: & ita capitur retibus, propter carnis dulcedinem, præsertim quæ  
minor est, instar turturis hyeme latitans in cauernis. Aquatica uerò maior, gemitu  
importuno indicat tempestates.

## De Onocrotalo.

CAP. XXXII.

**O**nocrotalus in numero aquatiliū, multas in uentre recondens escas,  
& postea extrahens, & manducans, habet similitudinem oloris: nec differ-  
re existimaretur, nisi faucibus inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplabile  
animal congerit, mira capacitāte, ut mox perfecta rapina sensim inde in os red-  
dita,

coryli fructus: quæ etiam sub asperrima hyeme uim nutrimenti non amittunt. Sed difficile capiuntur retibus, laqueis, arcubus aut ballistis, ob niuium profunditatem cum pulchriorem colorem habeant, quam saporem. Vbi uerò alites prædictæ concauitates niuium, ueluti abditas specus sortite fuerint, eas ingrediuntur, sese balneantes, uti puluere gallus, uel sturnus arena: deinde cacumina arborum niuibibus oppressarum repetunt, tanquam locum naturæ beneficio maiorem uoluptatem administraturum: imò & necessitatem, ut eminentius præcaueant insidias importunas accipitrum: quibus uilis se in medias niues intrudunt, ut passeris contra miluum inter spinas, & demum niuibibus consumptis, inter arbores densas tempore ueris. Quando ab albedine in cinereum colorem naturali uarietate transeunt, uitam degunt placidam, nullum inter rapaces alites accipitre minore sentientes hostem seueriorem. Quod uerò cernuntur arbores sub candidis illis auibus incuruatæ, maximam abundantiam niuium signat: quia proceræ arbores uelut semicirculi, aut arcus in terram depressæ, per menses Decembrem, Ianuarium, & Februarium, aut amplius detinentur. Adhæret enim nix densa, latioribus ramis frigore congelata: augeturque frequenti niuium casu, ut sæpius importabili onere uastæ arbores uel rumpantur, uel in partes diuidantur.

De ponderosis Niuibus, & Culicibus hyemalibus.

C A P. XXXVI.

**H**ÆCq; niuium magnâ pressura continuè durat, usquequò solis ascensu, & Austrino uento consumitur. Deinde post tantum, tamq; diuturnum naturæ certamen, rediit uo humore huiusmodi arbores incuruatæ, ad pristinam libertatem, & decorem resurgunt, eminentius in sublime tendentes, quo terra niuium humore resoluta, singulari fertilitate fuerit impinguata: quod & agricolis pro liberaliori commodo cedit. Resolutione enim niuium agri fecundiores redduntur, citiusq; germinant, quam quicuis alij agri diligentissimo labore præparati, pro ut superius lib. 13. in primis capitulis est enarratum. Similiter et prata, ac pascua tantum luxuriant graminum ubertate, ac diuersitate, ut necessum sit inde arcere iumenta, ne nimio herbarum esu crepent, aut debilitentur: imò ubi prata sunt, falci- bus sepe truncare herbas. Accedit præterea aliud naturæ portentum uersus Septentrionem, quomodo in plerisque locis penes terrarum calida spiracula minutuli culices generantur, Austroq; flante modicum è terra eleuantur, & innumerabili agmine supra niues turbato uolatu mouentur: & sicut nulli sunt molesti, ita unico flatu uenti Borealis asperi, ueluti hemerobij extinguuntur. Sed tamen rediens Auster nouos producit ex eisdem cauernis, & similibus, ut plurima pars hyemis etiam culices uideat in aëre perstreptentes. Simile Strabo lib. 11. in uerbo Vermium ostendit. Est etiam hîc considerandum propter coloris similitudinem, quod caladrius albus secundum legem immundus, cuius interiora femoris curant caliginem oculorum, in atrijs Regum inuenitur. Homini infirmo, morituro faciem auertit: sed uicturo faciem intendit, ægritudines eius assumens, & dispergens eas: aliquando etiam ob hoc moritur ipsa auis. Licet autem flaccescant arbores niuium densitate, & teneri rami nimio pondere more arcuum deprimantur, atq; plures arbores pronæ in terram inclinentur: tamen sub eis, tanquam in opacis locis, frigido uento liberis, habitant diuersæ bestiæ in maxima securitate.

Sed nec silendum est, itinerantes sub his incuruatis arbo-

ribus, tanquam fornicibus perficere uias suas: se-

ues tamen ictus casu niuium ali-

quando sustinere.

signis deprehensis maximum numerum uiuarum auium comprehendant, extrahantq; ad magnum lucrum. Sed id fieri oportebit celeriter: quia audito canum latratu, mox uigore alarum (non secus ac agmina apum) erumpunt, & se in sublime efferunt. Quod si præsentiunt niuem imminere maiorem, prædicto fructu iterum deuorato, aliud domicilium captant, inq; eo manent usque ad finem Martij, uel celerioris resolutionis niuium, sole Arietem egrediente: tunc enim niue liquefacta, naturæ instinctu (ut multæ alię aues) à latebris surgunt, oua pullosq; producturæ: & hoc in montibus, ubi uepres sunt, & arbores densæ. Mares & foeminae uicissim oua cubant, & uterque pullos obseruat, & præsertim mas, ne ab aquila, uel uulpe rapiantur.

## De uenatione earum extra niues,

## CAP. XXXIIII.

**H**AE aues in maxima turba congregatæ uolant, atque in altis arboribus, præsertim betulinis, manent: nec descendunt, nisi propagationis causa, quia in earum arborum summitate habent sufficiens nutrimentum. Et eo uiso, scilicet quod sese dilatent per campos, etiam niue repletos, uenatores siue rustici, ad quos rura spectant, baculis seu fustibus longitudine 8. uel 10. pedum, obliquo situ è terra supra niues erectis, è quorum summitate dependet laqueus ad omnem tactum mobilis, uenantur huiusmodi aues: quia in congressu naturæ mirè saltant, uti perdices currunt: & ita incidunt in laqueos, atq; pendentes manent. Cumq; una funiculo uidetur suspensa, aliæ eam liberaturæ aduolant, & similibus laqueis iretuntur. Est etiam alius modus eas capiendi, uidelicet sagittis sub umbra equorum (prout superius dictum est de erythraone) ut minus insidias ualeant præcauere. Tempore autem propagationis, incessabili garrulitate alterutrum se superare uolentes canunt, mares præsertim, ut longo latoq; spatio per omnes syluas audiantur: seq; cantu frequentius produnt. Est etiam alia auium species, Bonosa dicta, carnes habens exterius nigras, interius albas, satis delicatas & sapidas more perdici, licet sint magnitudine phasianorum. Tempore coitus masculus hianti ore currit, donec spumet: tunc foemina occurrens spumam recipit, indeq; uidetur concipere, & parere oua, atq; educere pullos: quod Alberto non placet. Carnes uerò supradictarum auium, syluestrium scilicet gallorum, sunt admodum dulces, & temperatæ, ut caponum: & ob id ingeniosè, ut dictum est, hyeme scilicet laqueis, & æstate sagittis capiuntur.

## De nivalibus Auiculis.

## CAP. XXXV.



**E**ST præterea admiranda quarundam auium Aquilonarium natura, quod in sylvarum solitudine ita sese contineant, ut ibi genitæ humanis habitaculis nunquam, uel raro appropinquent. Sturnorum magnitudinem, & colorē estate habent: hyeme uerò multiplicatis niuib; semper candidę apparent, ueluti cygni. Pedes earum rubei, ut nigrarum ciconiarū: sed rostrum croceo colore decorum, breue tamen & acutū. Cibus earum, ut ceterarum auium, uermicul, inter cortices nimolarum arborum latitantes, uel aridi pinorum, aut abietum, aut coryli

mergorum, plurimum piscibus nociua, quos è stationibus turbat, ac uorat. Meantæ auēs anatis maiores (Germanicè Meuen, ac Gothicè Maaker dictæ) breuī collo & pedibus, coloris cinerei, oculis glaucis, rostro partim croceo, partim rubeo, semper clamantes Mea mea. Hæ uesci cupiunt cadaueribus hominum: unde naufragis, & submersis in tempestatibus insident deuorādīs. Multa harum auium genera reperiuntur, quæ oua in nudis rupibus plurima ponunt. Sunt & merguli, tempestates præfagientes: auidè uorant, ac in litore se conseruant. Sunt & aliæ, quæ longè lateq; per agros, & loca campestria uolando se subducunt, ne grandinibus ab æthere tempestuosè in mare cadentibus, infestius corripiantur, aut interimantur. In littoribus Noruagicis etiam sunt innumerabiles insulæ, usq; ad suppositas terras progredientes: in quibus uti plurimæ aues alibi non reperibiles sunt, ita & oua producant innumera: quæ occupantibus cedunt. Sed unum est cæteris spectaculis miserabilius, quod gallina ex anatum ouis, pariter & proprijs pullos producat, proprio foetu secum gaudet in fricatione uentris cubatione fatigati: alterum uerò aquis se immergentem uocat ad escam, qui nec matrem agnoscit etiam uociferantem. Ita forsitan est de quouis suppositio partu, prout latius in sequenti capitulo ostendetur de pullis pauonum, qui contemnunt gallinam nutricem, uti & anatum pulli.

## De Pauonibus.

## CAP. XXXIX.



**P**Auones in Aquilonaribus terris, uti rari reperiuntur, ita & chari habentur, præsertim ob pennarum decorem, & utilitatem. Oua, pullosq; producant semel in anno: licet in tenera ætate, ob immodicum frigus, pauci pulli coalescant. Attamen in Ostrogothia, & Vestrogothia, ac Suetia plures generantur, & maxima diligentia educantur, ita ut primis diebus farina hordeacea in modum pillularum confecta uescantur: postea caseo recenti à lacte expresso, (na se nō docet) deinde 35. die euoluto, hordeo solido nutriuntur: ac ultimo in aperitis, & cāpis, ubi naturæ instinctu seipso liberius sustentare possunt, præcipue ubi uulpes non habeant ad eos accessum. Quod autem cæteris auibus diligentius fouentur, causam præstat utilitas, & pulchritudo pennarū, quā pictores, & textores Aquilonariū terrarum in colorum uarietate distinguēda imitātur, cū magnorum artificū picturæ raro, ob itineris prolixitatem, à remotis terris afferantur. Rusticana simplicitas hos alites Angelico uestitu coelitus missos putaret nisi horribili clamore, & serpentino capite ipsa natura refelleret opinionē. Nec mirum: quia Volaterran. libro 25. dicit: Pauone primum in India uiso, Alexandrum ferunt admiratum, prohibuisseq; edicto, ne quis eam auem necaret. In Græciam demum delata, diu quæsiuit fuit: primum elegantibus tantum mercede indicatus, deinde ad eorū spectaculum admissa multitudine. Masculi (seorsum quinis fœminis sufficientes) oua perquirunt, ut frangāt ob libidinosum ardorem: pullosq; suos uelut alienigenas persequuntur, antequam illis cristarum insigne nascatur. Sed oua pauonum gallinis maioribus, & electioribus in cubando supponuntur: sicq; supposita sæpius manu uertere oportet, ut eo facilius foetus educatur adulterinus: circa quem non minor gallinæ cura est, quàm aliās de pullis anatum: qui aquis se immergentes, parientem natura urgente non sequuntur uocantem. Pulli uerò pauonū citius crescentes, nutricem facile contemnunt: & ita sollicita gallina solatio productæ sobolis ubiq; defraudatur.

## De Ouis insularibus diuersarum auium.

CAP. XXXVII.



**Q**uia aquatilibus auibus tutum minime est, oua ponere in terra firma, aut pullos producere longè ab aquis, propter noxias bestias, uulpeculas scilicet, & mustelas: ideo naturæ instinctu in insulis (quarum infinitus in Aquilone numerus est) & rupibus fruticum germine denudatis, maximo agmine, ac numero diuersi generis cohabitant: nidosq; earum aliquæ in nudo filice, aliquæ tortis aridisq; stipulis, uel gramine sicco reponunt, ouaq; innumera pariunt: quæ quibuscunq; nauiganibus liberè cedunt occupanda, ita ut maxima uasa colligant, & in forum uendenda comportent, aut sale (corticibus exuta) ad domesticum cibum, non ingratum, longo tempore seruent: boniq; saporis sunt, licet à feris accepta. Anas tamen in terra prope aquas, aut insulas educit pullos. Inter eas aues fulica aquatica est, nigri coloris, de genere mergorum, anate minor: quæ in mari, & circa stagna habitat, non uagabunda, sed permanens in loco suæ generationis. Cadaueribus uestitur piscium à rapacibus auibus dimissorum: præter quos ipsa insidiosè inter rupes alios uenatur: è quibus uiceuersa cæteris auibus magna liberalitate escam partitur. Tempestatibus gaudet, eò quòd ludendo se submergit, & enatat. Matutino clangore tempestatē prælagit. Fulica, ut dicit Ambrosius, pullos aquilæ nido deiectos, reuerenda clementia cum pullis suis pascit ac nutrit: hominibus ratione utentibus exemplum præbens, quanta debeant erga peregrinos, & pauperes, ac tribulatos pietate moueri. Item si fulica locum inuenierit, ubi pacem & pastum habet, inde non recedit. Nidum tamen in petris ponit prope ripas, & oua plurima parit: quæ à fluctibus minimè rumpuntur. Quorum igitur tantam uim dicit Isidorus lib. 13. cap. 7. ut lignum perfusum ex eis non ardeat, ac ne uestis quidem contacta aduratur. Admixta quoque calce cum albumine oui, quo & succini frustra solidantur, conglutinant uitri fragmenta: imò id uerum est, quando calx est uiua: uel minio admixto, quando calx uiua non occurrit. Generaliter oua omnium uolatilium, tam syluestrium quàm domesticorum, uel aquaticorum, naturam eorum sapiunt, unde genita sunt. Oua aquatiliu auium pallida sunt, & uaria, ac punctis distincta. Intus autem omne ouum uolucrum bicolor. Aquaticis lutei plusquàm albi, idq; ipsum magis luridum, quàm cæteris auib. Oua uolucrum ex calore fragilia: aquatiliu rotunda, reliqua ferè fastigio cacuminata. Quæ oblonga sunt oua, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Rotunda foeminam, reliqua marem gignunt. Omnibus ouis medio uiselli parua inest uelut sanguinea gutta: quod esse cor auium existimatur. Optima foetura ante uernum æquinoctium, uidelicet in regionibus calidis, & temperatis: sed in Septentrione ad finem ueris, glacie uix resoluta, quando redeunt aues, ut pullos in insulis excludant. Plura de ouis si quis scrutari desiderat, inter alios uideat Albertum lib. 17. per totum de ouis &c.

## Adhuc de Ouis certarum auium.

CAP. XXXVIII.

**L**arus auis est de genere milui, tam in aëre, quàm in aqua prædam uenans, ouaq; instar gallinarum producens. Est & carthates auis nigra de genere mergorum.

dis sue fructum habere non potest: quia cum pullos suos eduxerit, eos amittit: ubi enim uera genitricis uocem audierint, quæ oua generauit, relicta ea, ad illam se naturali quodam munere & amore conferunt, quam ueram sibi matrem ouorum generatione cognouerint. Capiuntur multis modis, uno uidelicet frequentiore in terris Aquilonaribus, ut uenator serpat sub cute uaccina in terra: quæ semina spargentem perdices accedunt securæ, donec retibus inuoluantur circumquaq; in circuitu ordinatis. Capiuntur & à fistulatore, qui extensis retibus domesticam unam perdicem offert certamini aliarum: & ita accensæ rabida libidine accurrunt, & capiuntur. Capiuntur etiam retibus rubeo colore perunctis, cum uenator in frutice clausus eas fistula uocat. Frigoribus compressæ uolitant ad nemora uasta: sed neq; ibi à uenatoribus sunt securæ, propter delicatam escam solidæ carnis earum. Ius perdicum recreat stomachum. Morbo etiam regio resistit cerebrum perdicis in tribus uini cyathis sumptum. Oculis contusis fel perdicis prodest cum equo pondere mellis coctum, & datum. Fel contritum & appositum, ualet ad oculorum claritatem restituendam. Oua perdicum æreo uase decocta cum melle, ulceribus oculorum, & glaucomatis medentur, ut Plinius refert. Epar perdicis siccatum, diligenterq; tritum, ac bibitum, epilepticis prodest.

## De docilitate quarundam Auium.

## CAP. XLII.



**V**Ltra prædictas aues, tam terrestres quam aquaticas, maiori uel mediocri forma, ac proprietate descriptas, plurimæ minutulæ ibidem, etiam ualde canoræ reperiuntur: quæ cõmuniter in alijs regionibus suauissimè cantant. Atq; ut magis articulate id efficiant, à præceptoribus instruuntur, sicuti sunt sturni, merule, turde, cardueles et calandra. Sturni autem, etsi in niuib; saltantes præagiunt imminere tempestates, tamen capti, atq; in cauea tenti, propter gracilem lingue latitudinem, facillimè instruuntur ad cantum, ut Vincen. in spec. nat. lib. 16. cap. 140. attestatur. Auis est nigri, et cinerei coloris, cum quibusdam respersis maculis generata. Nisum insidiantem, & subtus uolantem stercorebus opprimunt, atq; in arenis paludibusq; sedent. Merula, quæ 9. uoces, quibus omnis cantilena componitur, quasi inimitabiles habet, gloriabunda in hominum præsentia canit, uerno præsertim tempore, quia hyeme balbutit. Nigra, croceis pedibus, & ore, melior est, quam alia cinerei coloris. In Achaïe partibus candida inuenitur. In Septentrione ante glacierum recessum mirè cantat, à uerno æquinoctio usq; post solstitium æstiuale. Diligit habitare in paludibus, ac uastis syluis. Turdela magnitudinem, & ferè colorem turdi præferens, uere canit uoce mira, & multiplici. Domesticiatur ueluti ceteræ aues, ut melancholiam leuet. Vincen. in spe. nat. lib. 16. cap. 142. Carduelis ædiculis clausa, cornu suspensum rostro trahit, ut bibat, pedibus pro manibus utens: sed post potum inordinate cadere solet: in quo mirum uidetur, quod natura huiusmodi auib; eam astutiam concessit, quam nec boui, nec magnis animalibus uoluit impartiri, ut uasculo in bibendo supponat pedem, ne cadat, & illico rumpatur. Calandra est auis parua, propè cõsimilis alaude, colore fusca, plumis despecta, sed mira modulatione uocis. Audientes lætificat, omniumq; auium uoces expressè imitatur. Itaq; quando capta ergastulo includitur, ibi quoq; captiuitatis, & calamitatis suæ oblita, uix unam diei horam sine cantu præterit: adeoq; spatiari diuersis auium cantibus gaudet, ut nec de se sollicita sit.

Adhuc

## De mira natura Pauonis, &amp; Psittacis.

CAP. XL.

**A**vgustinus lib. 21. cap. 4. de Ciui. Dei de pauone loquens ait: Quis, nisi Deus creator omnium, carni pauonis mortui dedit, ut non putresceret: Hoc utiq; cum auditum incredibile uideretur, euenit, ut apud Carthaginem hæc auis cocta nobis apponeretur: de cuius pectore pulparum, quantum uisum est, seruari iussimus: quod post tantum dierum spatium, quantum alia quæcunq; caro putresceret, prolatum atq; oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Item repositum post dies plusquam triginta idem quod erat inuentum est: idemq; post annum, nisi quod aliquantum corpulentia sicioris, & contractioris fuit. Idem in eodem cap. septimo: Cum ergo dicimus de multis rebus mirabilibus, quæ nobis in promptu sunt, ipsi de illis rationem reddant, ut de carne non putrescente pauonis, cum putruerit & Platonis. Isidorus: Caro pauonis ita dura est, ut putredinem uix sentiat, nec facile coquatur. Hieronymus contra Iouinianum: Fimus pauonis feruorem podagræ dicitur mitigare: & ideo fimum suum, ne hominibus proffit, resorbent, utilitatibus hominum inuidentes: ut superius de urina lyncis dictum erat. Accedit præterea supraposita imagini pauonis, decorus & gratus Aquilonaris hospes psittacus, de Indicis oris per longa maris nauigia adductus in Septentrionem: qui cum tanto ingenio polleat, ut uoces præferat articulatas, dominum & reliquos eius domesticos salutando, in magna habetur estimatione, cibaturq; saccharo aliunde per mare importato, ne naturali originis sue, ut creditur, frustretur alimento. Idq; fieri solet per pueros, aut nobiles puellas, quibus garrulitas inest ab ipsa natura. Item risum, pariter & gemitum, atq; alia gesticulamenta proferens, hominum excitat hilaritatem. Aspectu uirginum delectatur, & tactu, atq; caput exhibet fricandum. Deluditur autem in propria forma speculum osculando. Cum uero domestica secreta reuelare cœperit, uilipenditur, ut alius quispiam afferens testimonium ueritati, eam non amanti. Psittaco autem datum est in suo genere fortissimum caput, ueluti urso debilissimum. Pauo uiginti annis, & uultur centum uiuere dicitur.

## De Perdibus, &amp; uenatione earum.

CAP. XLI.



**P**erdix, ut omnibus ferè notum relinquitur, est auis dolosa, & luxuriosa. Vnde masculis pro foeminis certantibus, uicti calcantur coitu à uictoribus. Ita sexū obliuiscitur libido præceps. De nocte conuersis posterioribus sedent perdices, & tempore libidinis, linguis adinuicem extensis desiderio coitus astant. Volantes sui iuris non sunt, quia in ipso aëre metas habent, quas transire non audent. In frigidis tamen locis maximè coalescunt. Perdix prope terram uolat: quæ cū in multis sit astuta, in hoc tamen decipitur, quod sicubi possit, caput abscondendo credat se totam latere, & cum ipsa neminem uideat, putat quoq; neminem se uidere. In hoc quoque fatua est, quod alienos pullos, uti adulteri filios putatiuos, fouet & nutrit, more domesticæ gallinæ, cum eos citius sit amissura, quos non peperit: quia loco ouorum amissorum, uel derelictorum, damnum refarcit in alienis. Veruntamen, ut dicit Ambros. lib. 6. Hexam. fraudis suæ

uise sunt: ideo aucupes ab illis abstinent intercipiendis. Præterea alię, ut ulule, sed luce uolantes, in putridis arboribus habitantes apparent. Admiratur Plinius lib. 10. cap. 29. miram naturæ differentiam: quia alia alijs locis negat, tanquam genera fruticum, frugum uel, sic & animalium: non nasci, translatitium: in uetia emori, mirum. Quid est illud unius generis salutis (noctue uidelicet in Creta) aduersum? quæ uel est ista naturæ inuidia? aut qui terrarum dicati auibus termini? Rhodus aquilam non habet. Transpadana Italia iuxta alpes Larium lacum appellat, amœnum arbusculo agro, ad quem ciconiæ non transmeant. Picus Martius in Tarentino agro negatur esse. Perdices non transuolant Bœotia fines in Attica: nec ulla auis Achilles sepulchrum infestat in Ponto. Nec Herculis ædem Romæ in foro Boario, muscæ, aut canes intrant. Non tamen hic negat Plinius inuestitias (teste Theophrasto) in Asia esse columbas, pauones, & coruos, sicuti superius dictum erat de psittacis, seu papagallis. Alia est etiam admiratio, quod quædam mutant colorem & uocem certo tempore anni, ac repente fiunt alia, ut gruës, quæ senectute nigrescunt. Merula ex nigra rubescit. Turdis color æstate circa ceruicem uarius, hyeme concolor. Sunt etiam aues anate maiores, uersicolores, quæ canum latratus per omnia imitantur: item alia bouum mugitum. Item alia, quæ equorum hinnitum faciunt, ut à pascuis abigant inimicum.

De Auibus ignoti nominis in  
Lacu albo.

C A P. XLV.



**L**acus albus inter Scricfinnos, & Biar-  
mos, ac Moschouitas uersus polum  
Arcticum situs, dominiorum & gentium  
terminos habet, longus & latus, adeoque pi-  
scosus, ut quibusuis piscatoribus, ætius  
præsertim tempore, exhibeat se sine sui di-  
minutione liberalem. Quare ad eum multę  
gentes accedunt, domesticam prouisionem  
ex eius abundantia facturæ per totum an-  
num. In eo lacu, & penes eum habitant infi-  
nitæ species auium, continuum garritum se-  
re sex mensibus sub clarissima luce dierum ac noctium, usque ad graue fastidium e-  
mittentium. Quædamque earum ignoti nominis sunt, & maxime mollium pluma-  
rum, ut incolæ eas uenantes, exinde acquirant ingenrem quæstum. Opus enim est  
in his regionibus frigidissimis, pro arcendo gelu uti plumis, & mollibus lectis, præ-  
cipue pro aduentitijs uiatoribus, qui talibus asperitatibus non sunt assueti. Cer-  
nuntur hic diuersorum hominum habitus, in nauibus (Strudzar, et Hæpar dictis)  
Moschouitarum, scilicet, Finnonum, & Scricfinnorum, quibus stante regionum  
pace, pacifica est comparsatio ineunda, ut nulli (quod mirum est) iniuria pro quæ-  
stu, seu captura piscium, aut auium irrogetur: nisi furto (quod raro accidit propter  
continuum lucem) aliquid ablatum fuerit, aut falsificatum. Gens enim illa Mo-  
schouitica more Græcorum astuta est, & uaria in uerbis. Videntur etiam  
aues onocrotali, saccum sub gutture habentes, ne & deesse uidea-  
tur in explebilis auis: de qua suo loco, sicuti & coruo, &  
reliquis non nihil fuerat allegatum. Item in hoc  
lacu infiniti cygni, anates, & anseres  
reperiuntur.

De auib.

Adhuc de Auibus sonoris, quę in extremis oris  
Aquilonis reperiuntur.

## CAP. XLIII.

**I**N primis philomela occurrit, quę, ut omnibus notum relinquitur, auis est parua, dulciter cantans, uoce quā corpore maior: potius uitam, quā cantum uicia deponit multiplicem edens sonum, inflexum, grauem, acutum, eleuatum, depressum, & circumflexum. Aduolat cantatē, ut tacite edocia uincat eandem: seque se inuicem prouocant, quasi in genere omnium musicorum instrumentorum. Breuiterque (ut Plin. lib. 10. cap. 29. asserit) omnia tam paruulis in faucibus, quę tot exquisitis tiliarum tormentis ars hominum excogitauit: ut non sit dubium hanc suauitatem premonstratam efficaci auspicio, cum in Ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, & non iidem omnibus, sed sui cuique. Animoso certamine canunt. Meditantur alię iuniores, uersusque quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, uicibusque reticent. Intelligitur emendatę correctio, & in docente quedam reprehensio. Refert eodem loco Plinius, candidam dono datam fuisse Agrippinę Claudij Principis coniugiiussas canere coepisse, saepe antea uisum. Habuit & turdum Agrippina sermones hominum imitantem: imo & Cæsares iuuenes sturnum Latini Gręcię sermonis docilem. Carduelis predicta uescitur semine papaueris, rutę, aut cannabi: quorum cortice extracta, puram medullam eligit in escam. Comedit & minimas nuces, eodem modo nucleos a pelle excorians. Multa sunt genera huius auiculę: tria tamen præcipua in Borealibus terris. Quoddam enim genus dorso cinereum, lateribus croceum, capite anteriori rubeum. Quoddam paruum, & croceum. Tertium uero in pectore totum est rubeum, ac flammeum. Quartum genus cinereum in dorso, & in pectore croceum, residet in lino dulciter canens, aut arundine exili. Omnia hæc genera gregatim uolant, facillimeque per uiscum uirgis impressum ad hastam, ubi ulula (quam omnes persequuntur) sedet, capiuntur. Remanēt semper in Aquilone, etiam sub asperrima hyeme: in qua nō deerit eis uictus. Denique sciendum est, quod aues paruę, præcipue tempore coitus, sint cæteris loquaciores.

De diuersis Auibus natura contrarijs.

## CAP. XLIIII.



**R**Eperiuntur etiam pleręque aues diuersę speciei, magnitudinis, & coloris in uasta solitudine uersus polum Landzrygga dicta, id est, terrę dorsum: quarum præsentia solis aspectibus aucupium sine ulteriori naturę notitia offertur. Peregrinę sunt a uicinioribus Scythiæ desertis per terras & maria peruenientes, uerno præsertim tempore, ut rupes hominibus inaccessas, sobolem producturę inhabitent atque autumno recedant. Nec aliqua nisi captiue relinquuntur: inter quas quedam apparent discolorēs, e uertice emittentes antrorsum plumas albas, totum caput tegentes: acutissimasque ungulas quantitate aquilę habentes: ac ex serpentibus, & muribus uictum quarunt. Videntur præterea aues candidę toto corpore, præter caudam, quę fusco est, & rubeo commixta colore, coruo maiores: quę bufones, ranas, bestiasque uenenatas comedere uisę

sonitu, imbres illicò adesse presagiunt. Item nepe maiores longissimis rostris pluuiam adesse predicunt: ita & pici arborum. Est etiam auis, quæ pluuialis dicitur, perdicis magnitudine, uarijs pennis ornata, croceo, albo, nigroq; distincta colore: hæc creditur solo aëre uiuere (quod omnino Albertus negat) licet pinguis sit, & in uentre eius nihil inueniatur. Hanc grauib; baculis uenantur aucupes, quos altius in aërem ad deterrendum eam iactant, ut ita autem ad ima uolantem, & fugientem acquirant. Vincentius li. 16. cap. 39. citato autore de nat. rerum, loquitur de auib; paradisi pulcherrimis, quod nescitur unde ueniant, aut quò uadant: non enim origo earum, uel propagatio uidetur, sed certis temporibus congregatæ, terras quas inhabitant, aliò migraturæ relinquunt, ac iuxta Alber. de tempore in tempus loca mutant. Item auis est acanthis dicta, quæ equos edit, & persequitur. Similiter & alia Assalon dicta. Auis subis, apud Nigidium sic appellata, aquilarum oua frangit, ut refert Plin. lib. 10. cap. 14. Sunt & apodes, quæ carent usu pedum, multum uolantes, de specie hirundinum. Nidificant in scopulis: & hæ toto mari cernuntur, continuoq; naues sequuntur à terra recedendo, atq; semper eas circumuolitant. Item è uolucris solè hirundines indociles sunt, & è terrestribus animalibus mures nil addiscunt: cum tamen leones iuga subeant, ac onagri, seu alces, piaustra pertrahant. Quædam aues nullam, nisi in nido retinent quietem: aut perident, aut iacent. Et ingenia equè uaria, ad pastum maximè.

## De Auib; nocturnis, &amp; earum cibis.

## CAP XLVIII.



**N**on putauī fas esse, præterire nocturnas uolucres, quia ut reliquæ supra dictæ, ita & hæ ad decorem uniuersi à summo Creatore sunt productæ. Offeritur autem in primis bubo Septentrionalium tenebrarum obseruator, auis diri ominis, ut Virgilius asserit:

Ignatus bubo dirum mortalibus omen Affert, &c.

Lunam tamen clarissimam intueretur ut aquila solem.

Sed quia uisum in meridie habet debilissimum, coruos sustinet hostes atrociores: uerum sibi nuicè aduersantur in nidis. Nam uti coruus meridie comedit oua bubonis, ita bubo oua corui de nocte: neq; sic decrescit generatio rapax. Cæteræ etiam aues bubonem deplumant, uerum resupinus fortissimis unguibus se defendit, maximè minoris generis bubo: maiores uerò in rupibus, & desertis, & umbrosis arboribus tempore præsertim æstiuâli manent, cum hyeme arcibus, ac turribus Ecclesiarum horrifonam semper ingerunt uocem. Visum habet flammeum, aures cuneatis plumis eleuatas, ungues acutissimos: nunquàm uolans quo libet, sed trãuersus aufertur. Otus est auis bubone minor, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus. Aliarum auium imitatrix, ac parasita reputatur, & saltatrix: & facile capitur. Mures persequitur, quia cadaueribus, & carnibus uiuit. Capiuntur hæc nocturna auium genera per lucernas accensas in horreis rusticorum: ibi enim congregantur, ob quæstum, & pastum murium latitantium. Mortua otus in stabulis super equos suspensa, creditur eos ab egritudinibus preseruare. Vlula est auis à planctu luctuq; nominata: cum enim clamat, fletum imitatur. Augurum iudicio ad dexteram uolans, & tacens, prosperitatem significat: gemens tristitiam. Vespertiones aues agrestes, pedes auium habent, cauda carentes, alas membranaceas è corio indistinctas: dentibus ut mures. Victum nocte quærunt. Pullos pariunt

Rr lacte

## De auibus Alle alle dictis.

CAP. XLVI.



**E**ST in hoc lacu quoddam auum genus admodum frequens, imò & in alijs sinibus maris Bothnici, ac Suetici, quod tempore aestiuo nunquam intermissa uoce clamat, Alle alle: unde propter hoc ubiq; ab incolis aues illę Alle alle appellantur. In eo namq; lacu propter dulces aquas à calidis fontibus undiq; scaturientes, multarũ, ac magnarum uolucrum (prout priori cap. dictum est) tanta multitudo reperitur, ut quali spatiosa littora, & uasta flumina cooperire uideantur, præcipuè corui marini, siue cornices anguillarũ, morfices, ac mergi, anates duarum specierum, & cygni, præter minuta aquatilia infinita. Hos igitur coruos, & reliquas inexplẽbiles aues, uenatores facilius ob grauem tardumq; uolatum, duobus uel quatuor cubitis super aquas eleuatas, capiunt: eo uidelicet modo, quod in arctis scopulis, uelut insularum ianuis, in utraq; ripa hastis atra retia, uel aqueo colore tincta appendunt: quæ trõchleis sursum deorsumq; repente mobilia redduntur, ut agmine magno aduolaturas aues depresso, subitoq; leuatis in obliquũ casum retibus inuoluant: quod necessariò auib; illis euenit, ob grauem tardumq; uolatum, quem recto & lineari motu seruauit institutum, ita ut pauca periculum euadant. Etiam anates, aliæq; aues quandoq; retibus huiusmodi subijciuntur. Hæ igitur aues nigre & pigre, siue natantes, siue uolantes, semper Alle alle uociferantur, quod Latine sonat Omnes omnes, etiam quando retibus sunt incluse: quàm uocem irrisoriam sollicitus auceps interpretatur, quod nequaquam omnes habeat in sua potestate, neq; unquam per retia quoq; sexcenta sit habiturus. Sunt & hæ aues maxima multitudine in scopulis Suetię, & Gothię superioris, licet non tanta, ut in lacu prædicto, alijsq; fluminibus huic uicinis. Capiuntur etiam aquatice aues in uasculis littoralium arborum, ramis per modũ nidorum appensis: in quæ anates præcipuè sese recipiunt, ad producendum oua & pullos, propter uulpeculas, à quibus in terra infestationem patiuntur. Item capiuntur & uisco, præsertim paruulæ.

## De Vpupis, &amp; alijs Auum generibus.

CAP. XLVII.



**V** Pupæ quando ad Septentrionales campos stato tempore è regionibus alienis adueniunt, ueris tempus accedere indicant. Auis gemitu plena, & clamore, ob ouorum, aut pullorum custodiam. Vulpes in herbis opportuno clamore latitare indicat: ita & canes, ac ceteras bestias ab omnibus locis abigēdas exclamat. Bellum eis cum hirundinibus, ac picis, & monedulis est. In paludum tuberibus oua ponit, & pullos educit. Domesticata uenando muscas domum purgat, etiam in murium raptu. Pluuiam gemitu indicat: quod & nepe campestres faciunt, cuculi equarum dictæ: quæ transuerso uolatu, citatoq; forsonit

et minutarum etiam auium, promiscua adulterinaque inuicem procreant. Maximus omnium uulturum hic est, quia ceteros uel sesquialtera portione excedit. Colore est rubeus, conspectu rarus, more eius, quem supra cymindem intra accipitrum genera uocari diximus. Vnum par uulturum occupat magnam syluam: unde fit, ut etiam pullos suos a nidis expellant, & longe fugent, æmulos scilicet rapinæ, ne ullo pacto uicinos habere patiantur. Demum senescentibus rostrum superius accrescit, incuruaturque subinde magis magisque, ut tandem fame intereant. Erythrotas Septentrionalis, uulturi haud dissimilis, grauis corpore & pondere, capitur in terra, ut refert Plinius lib. 10. cap. 22.

### Adhuc de Vulturum generatione, & pietate.

C A P. L.

**T**Radit beatus Ambrosius in Hexameron lib. 5. cap. 20. in generatione uulturum non interuenire concubitus, & sorte coniugali minimè misceri, atque ita sine ullo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare: natosque ex his in multam ætatem longæ uitæ procedere, ut usque ad centum annos uitæ eorum series producat, nec facile eos angusti cui finis excipiat. Et ita generatio eorum suscipitur introducta. Pietas autem horum animalium ab alio graui autore Cassiodoro libro 2. Epistolarum sic adduci, & accipi potest, ut inde eliciatur excelsa illa uirtus, quæ generosis hominibus, maximè supremis principibus, inesse probatur. Ait enim Rex Gothorum Theodericus, uulturum pietatem commendans, atque detestans crudelitatem famulorum, qui dominum suum turpiter interfecerunt, atque inhumatum (omissa funeris reuerentia) indignè abiecerunt, ut seuerissimè castigentur: quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, poenis arceantur aspectis. Proh dolor, pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur. Vultur ipse, cui uita est cadauer alienum, tantæ magnitudinis corpus nec exiguis alitibus probatur infestum, sed magis accipitrem, uitam plumigerum auium persequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoque suo pondere periclitantibus nititur subuenire: & homines parcere nequeunt, cuius se genus esse cognoscunt. Ille non uult extinguere, quo poterat uesci: serui maluerunt occidere, qui eos superstes consueuerat enutrire. Fiat ergo pascus piæ uulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare. Tali potius sepulchro recipiatur, qui dominum reddidit insepultum.

### De Cuculo, & multiplici genere Picorum.

C A P. LI.

**E**st etiam in Aquilonaribus syluis optatæ lætitiæ annuntiatrice auis omnibus nota, Cuculus appellata, circa principium Maij erumpens in uocem sonoram: quam ferè in finem mensis Iulij continuat. Sed hoc in uastis nemoribus, ob inimicas aues, naturali odio eam in omnibus molestantes, eò quod et ipsa (coccyx Græcè dicta) alijs sit insidiosa. Nidum enim proprium non facit, sed in alienis, palumbi scilicet, alaudæ, uel passeris solitarij, ponit sua oua cubanda, & alterius labore producit pullos: qui à testa exeuntes, pulchritudine, ut educentur, prouocant nutricem: quæ specie & forma impinguëscentis sobolis gaudens, foetus suos damnat, atque absumi patitur, donec ab adulterino foetu euolaturus interimatur: & demum ipse coccyx à suo genere, uidelicet accipitrem, dilaniatur. Nulla auium carnis dulcedine superat coccyx: quæ & frigidissimæ est naturæ, ut Aristoteli lib. 6. de animal. cap. 7. placet. Albertus dicit hanc auem minimè aestate colligere, quæ sit hyeme comestura: sed latitat in concauitatibus arborum, aut cauernis terrarum, plumis spoliata. Quandoque etiam autumnis capta hæc auis, educatur in uaporarijs, ut quasi species falconum, ad uenandum aptari possit.

R. 2 Sed

lacte nutriendos: quod nullis alijs uolucris est concessum. Vbera ad mouentes (teste Plin. lib. 10. cap. 61.) gemellos uolitant amplexæ infantes, secumq; deportant. Culices gratus eis pastus. Caprimulgi nocturni fures sunt, interdum uisu carentes. Pastorum stabula intrant, caprarumq; uberibus aduolant propter suctum lactis: qua iniuria uber emoritur, caprisq; cæcitas (quas ita mulsere) oboritur. De die manent in petris. Noctua glaucis oculorum pupillis tenebras non sentit, quia obscuriore nocte uolatum habet crebriorem, et hunc inoffensum. Sole exorto uisus eius hebetatur. Noctua contraria est apibus, uespis, crabronibus, & sanguisugis. Strix est avis nocturna, à sono sic dicta. Lucanus:

Quid trepidus bubo, quid strix nocturna queruntur.

Plura qui uidere uelit de auibus nocturnis, uideat Volater. lib. 25. & Plin. lib. 10. cap. 16.

De Vulturum differentia, & proprietate, quos Aristoteles  
& Plinius Aquilas appellant.

C A P. XLIX.

**Q**Vandoquidem supra eodem lib. aquilarum genera diuersa secundum Albertum, quæ frequentius in Septentrionalibus oris reperiuntur, demonstrata sunt: hic uulturum (quos Aristoteles & Plinius aquilas appellarunt) differentiam, ac proprietatem inferendam esse duximus. Quod autem ab his alioquin primas tenentibus, in animalium proprietatibus describendis dissentimus, maxime auctoritate Alberti Magni mouemur cui ora Aquilonaria magis fuere cognita: qui etiam sibi aquilarum naturam apud nos commorantium intimius perspectam habens, in hunc modum lib. 32. de Animal. scribit: Scias quod Aristoteles, & quidam Philosophi alij aquilam, et uulturem in idem genus auis ponunt, aquilam quidem ab acumine, uulturem autem à uolando & capiendo nominantes: propter quod quidam dicunt nobilissimum auis genus esse uulturem. Hactenus ille. Vulturum igitur sex genera, uidelicet pygargus, qui ab albicante cauda dicitur, ac si albicillum nomines. Hic gaudet planis, & lucis, & oppidis: hinularius etiam à nonnullis cognomine appellatus: montesq; ac syluas suis fretus uiribus petit. Aliud genus magnitudine secundum & uiribus, plangus aut clangus nomine, saltus & conualles, & lacus incolere solitum, cognomine anatarus, & morphnos à macula pennæ: hunc Homerus in exitu Priami percnon uocat. Est tertium genus, colore nigricans unde nomen accepit, ut fuluius uocetur, Græcè melænætos. Hinc magnitudine minimus, sed uiribus omnium præstantissimus est. Colit montes, ac syluas: & leporeus, eo quod proprie interficit lepores, cognominatur. Hic solus bono nutrimeto foetus suos alit, atq; educit: hic deniq; pernix, intrepidus, strenuus, quippe qui non clāgat aut murmure, citoq; uenetur. Aliud etiam est genus, ab alarum notis, quæ malæ sunt, percnopteris, alias oripelargus appellatum. Hic est capite albicante, corpore maiore, quam cæteri adhuc dicti: sed breuioribus alis, cauda longiore. Huius quantitas, quasi aliorum uulturum medietas, uulturi nanque speciem planè refert: subaquila, & mōtana ciconia cognominatur. Manet in locis multarum arborum. A coruo, cæterisq; alitibus capitur: grauis est enim, uictuq; iners. Ex naturali malitia exanimata fert corpora: ieiuniæ semper auuditatis, & querulæ murmurationis. Porro aliud genus uulturum est, quod halætus, hoc est marinus uocatur, ceruice magna & crassa, alis curuantibus, cauda lata: moratur hic in littoribus & oris. Accidit etiam huic sæpius, ut cum ferre quod ceperit nequeat, in gurgitem demergatur. Hunc etiam Plinius lib. 10. cap. 3. inter uulturum genera recenset, & ex eis uultures procreari affirmat. Denique aliud genus gnelium, id est uerum, germanumq; appellant. Vnum hoc ex omni uulturum genere esse ueri incorruptiq; ortus creditur: cætera enim genera & uulturum, & aquilarum, & accipitrum, & minu-

cutiens, tempestates: altè nidificans, in montibus tutè seminandum: humiliter, in uallibus ruricolis signat.

Ispidarum pelles & plumæ, parieti infixæ mutationem aëris, ueluti coloris, ostentant: & Alberto teste, hæc aues custoditæ, thesaurum augere creduntur.

Lagus ludens super aquas, tempestatem præfagit.

Mergus à mari fugiens, grauissimam imminere tempestatem ostendit.

Meanta tempestate imminente plus solito clamat, gaudetq; se præda submersorum posse satiari.

Noctua in imbre garrula serenitatem, & in sereno tempestatem signat, uoceq; importuna mortem imminere præfagit.

Nepa gemebunda uoce per aërem uolans, nebulas densas, & pluuias signat.

Otis in culmine domus, uel turribus, ridenti similis cum auditur, fortissimum frigus ostendit.

Picam communem continuato garritu, latos aduentare hospites, ubique signare receptum est.

Querquedula ferè omnes aquaticæ, quarum quedam species quercus aridas inhabitant, paucio uel multo garritu aëris mutationem significant.

Sturnus aurora surgente nimium murmurans, pluuiam: parum uerò garriens, serenitatem præfagit.

Turdi niuib; se balneantes tempestates, & niuium casus uehementiores imminere præfagiunt.

Vlula clamans tristitiam, silentio uerò prosperitatem significat.

Vultures agminatim uolantes, strages hominum quò uolant ostendunt.

Adducit etiam Volateran. libro 25. plura alia uolucrum signa, futura mutationis temporum, & elementorum, &c.

## LIBRI XIX. FINIS.

## OLAI MAGNI GO-

## THI ARCHIEPISCOPI VPSA-

## LENSIS DE PISCIBVS

## LIBER XX.

## PRAEFATIO.



ABSOLVTIS præcedenti libro terrestribus atq; aquatilibus aui-  
bus, eò relaxatur rerum ordo, ut ad natatilia in gurgite, uel flu-  
minibus uiuentia descèdatur, uideaturq; quid in aquis Septen-  
trionalibus producitur, quod præter uitæ spiraculum parū com-  
mune in forma, uel proprietate habeat cum cæteris bestiis alia-  
rum aquarū, & regionum. Habent enim lacus & amnes Aquila-  
lonares, adeò multiplices piscium species, in figura, qualitate,  
& quantitate ab alijs distinctas, ut delectabilius esset uti eorum sapore, quàm al-  
tercari de nominum appellatione. Intuitus aliquando sum forum piscarium abun-  
dantissimum Venetorum: sed uix quatuor, aut quinque piscium genera, scilicet lu-  
cios, tenchas, anguillas, orches, ac squatinas reperi, quæ cōparari poterunt Aquila-  
lonaribus piscibus multiplici uarietate distinctis: quorum ueriora nomina si La-

Rr 3 uno,